BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
23 C
1 41

14. 26. d. 19/20

49 49
c
49 48

…HAELIS
…ALV… ET SALONIAE,
SICVLI HYBLENSIS,

…ILOSOPHIAE ET MEDICINAE
DOCTORIS;

…PER PORPHYRII AD PRAEDICAmenta Ariſtotelis Introductione,

CONCLVSIONES.

ILLVSTRISSIMO, NEC
NON RELIGIOSISSIMO DO.
DON SIMEONI AB ARAGONA
NVNCVPATAE.

Addita eſt eiuſdem Doctoris de libro Prædicamentorum; pro omnibus Ariſtotelis Expoſitoribus aduerſus Hieronymum Balduinum,

APOLOGIA.

VENETIIS,
APVD IOANNEM COMENCINVM.
M. D. LXXV.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
49. 4. 50

ILLVSTRISSIMO, NEC NON RELIGIOSISSIMO DOMINO, DON SIMEONI AB ARAGONA,

Omni ſcientiarum genere ornatiſsimo, ac domino ſuo colendiſsimo, Michael Caluus

S. P.

SElegeram (Illuſtriſsime ac Religioſiſsime Domine)ex lectionibus quas ſuper Porphyrij ad Ariſtotelicas Categorias introductione, annis abhinc multis habebam, propoſitiones aliquot, excubiarum mearum argumentum non contemnendum præſeferentes: quas, quoniam ceu no

uæ necnon aliquantulum elaboratæ, ſtudioſis tyronibus aliquē bonæ frugis uſum allaturæ uidebantur, ne temporum intercapedine à propria exciderent memoria, ſcribendas eſſe duxi: unica motus perſuaſione; quòd ſi me aliquando, eiuſdem lectionis ſtudio incumbere rurſus contingeret, ueterum lucubrationū ope, nouo parcere labori, fas eſſet. non quòd publicè edēdas illas uel curaſſem, uel animo duntaxat concepiſſem: quippe cùm ea mearum uigiliarum fructuū mihi perpetuò inhæſit opinio, ut ad alicuius, mediocriter quāuis eruditi, manus peruenturos illos prorſus indigniſsimos, non modò ſuſpicarer, ſed firmiſsimè definirem. At Hieronymus Caluus, Hyblenſis huius eccleſiæ curatus, frater meus, ſeruus idemq; tuus, nominiq; tuo ſplendidiſsimo deditiſsimus, apud quem iam dictæ propoſitiones (ut-

pote

pote quæ in eius potiſſimum utilitatem fuerant conſcriptæ) extabant; quotidianis me expoſtulationibus afficiebat; ut ſi illæ in lucem prodirent, me non reclamaturũ, ſaltem annuerem. ipſe nanq; huic obeundo muneri quæ neceſſaria exigebantur, ſedulo ſtudio ſe præſtaturum pollicebatur. Dumq́; ego non ab his quæ rerum amor propriarum, ſed quæ ipſa argumentabatur ueritas, molis huius qualitate ferè perterritus detinebar, unica ille uehementiq́; allectus beneuolentia contenderet; operaq́; tandem, frater mei amantiſſimus ſolertis magnificiq́; uiri Ioannis Comencini bibliopolæ, ut denuo diligentiùsq́; illæ tranſcriptæ typis cudendæ demandarentur (me inſcio) patrauit. Hoc ipſum, ab ijs familiaribus, rem quam concupierant ſciſcitantibus, ad meas ubi peruentum eſt aures; honeſto fratris deſiderio condonans,

 eiuſd-

eiuſdemq́ uolens arctiſsimis efflagitatio-nibus facere ſatis, eaſdem concluſiones, & ſi non ut parerat (ob graues quibus, innumeris uiſendis ægris angor labores, uariasq́ animi calamitates, quibus ob iucundiſsimam nuper amiſſam coniugem, poſt quatuor ſuſcepta ætatibus tenella pignora diu noctuq́ affligor) reuiſas, qui luculentiores, caſtigatioresq́ imprimerentur, inuitus denique miſſas feci. Vix tantum nactus ocij, ut alicuius herois patrocinio protectas illas emitterem. Et quamuis multorum, quibus hoc onus committi poſſet, acceſsiſſet conſideratio, te tamen quem præſtantiſsimum mihi patronum compararem, ut uetuſtiſsima generis nobilitate, re uera illuſtriorem, ſic eximijs animi dotibus excellentiorem reputaui neminem. Prætereo, quòd cum Excellentiſsimi Don CAROLI Heracliæ Ducis, ac Ca-

ſtri-

ſtriueterani Principis filius ſis digniſſimus; ac Illuſtriſsimi Don IOANNIS Domini mei, patriæq́; meæ Hyblæ Marchionis frater, uel tibi, uel iſtius Illuſtriſsimæ domus alicui alteri, mea cuncta iure quaſi congruo nuncupanda ueniunt. Verum enim uerò me meis optimè conſuluiſſe rebus, obijciet quiſpiam, dum talem illis, tantumq́; propono defenſorem: quocirca debuiſſem pariter (rationabili proportioni ſeruandæ ſtudens) ut edendum opus, & re tractata, & tractationis modo, longè præſtantius eſſet; neruis omnibus contendere: unde hilaritatem domino munus, atque huic ille lumen impenderet. Quam igitur, logicales humilesq́; diſputationes, eædemq́; inepta ac obſcura ſcribendi ratione exaratæ, cum generoſiſſimo domino, altiſsimisq́; ſcientijs apprimè ornato, qui ſeptem hucusq; annis in eminentiſ-

ſimis Europæ gymnaſijs, poſt eruditiſſimam educationem fuerit uerſatus, ſortientur collationem? Is nihilominus ſi pedem ſiſtet; ac procerum tibi ſimilium mores perſcrutabitur; non indigna me proceſſiſſe imitatione definiet: tantùm abeſt, quòd errore correptum cenſeat. ab humillimis etenim manibus munera atq; uiliſſima, candida ſed oblata animo, ſummos Imperatores hilariter ſuſcepiſſe, nunquam ue recundatos fuiſſe legimus. Quomodo ergo tibi, ſeruus ego tuus, meæ ſeruitutis obſequium, alioqui ex ipſo cordis meditullio proſiliens exiguo, uiliq́; hoc munere indigi tatum offerre uerebor? aut quomodo tu ſacroſanctæ religionis decus, unicum humanitatis exemplar, ſcientiarum omnium hoſpitium, morum optimorum alumnus; ac uirtutum ſpecimen; illuſtriſſimo (qui tuus eſt) uultu, illud accipere dedignaberis?

ris? tu (inquam) principis tanti filius: in quo uno, ultra innumeras, præſtantiſſimasq́ dotes, ita ſublimitas humanitati coniungitur, ſumma ſummæ; ut utra magis ſplẽdeat (latrent utcunq́ Momi) dum candida hominum ingenia admirantur; non adhuc decernere norunt. Huius, Inuictiſſimus Rex & dominus noſter PHILIPPVS, teſtis ſit unicus: qui eiuſdem patris tui Excellentiæ, ampliſſimi huius Trinacriæ regni (ſummo uirtutum ſuarũ præconio) quater commiſit regimen. & iam hoc tempore, quo ſub Sereniſſimo domino Don IOANNE ab Auſtria, Chriſtiani fœderis exercituum Duce, numeroſæq́ claſſis Ottomanicæ expugnatore glorioſiſſimo, commeatus, munimia, ac copiæ eodem hoc in regno parantur, Regias parens idem tuus, uices inculpatiſſimè gerit. Suſcipias igitur Religioſiſſime

Domine

Domine hanc qualemcunq; imi ingenij mei fœturam: cui nimirùm obſcuræ, illuſtriſsimum tui nominis ſplendorem per neceſſarium fore concludo. Diu interea ualeas: & quam abs te Domini Eccleſia præſtolatur frugem, obtinens; mira expectatione ſe non fruſtratam ſentiat. Cui ut profis, ac præſis, oro. Michaelis ſerui tui obſequentiſsimi nequaquàm immemor. Hyblæ, Nonis Septembris, Anno à Parthenio partu. M. D. LXXII.

Ad

AD PERQVAM ILLVSTREM ac Generoſiſsimum Dominum, Don Carolum ab Aragona & Brachijs fortibus,

Michaelis Calui Carmen.

HEROIS, ò, Celſi fili digniſſime patris;
Trinacriæ ſplendor qui fuit, atque decus.
Eximij generis, rerum, uirtutis, & hæres
Qui Illuſtris remanes, & uelut ille, nitens.
Nunc ut ſeruorum dominus ſis ipſe parentis,
Illis ac faueas conuenit; utque iuues.
Partibus at, quoniam primis patiebar in albo
Illo ego; & innumeris charior unus eram:
Sic habeas pariter me ſeruum; ſisque patronus
Ipſe mei; ac foueas quæ mea cuncta, precor.
Inter quæ, numeres hæc commentaria, prælo
Porphyrij logices, quæ (licèt ima) dedi.
Hos igitur tua dignetur præſtantia fructus
Hinc legere, & placidè conſiderare meos.
Dumque legis, ſerui quòd ſit fœtura, memento:
Qui, pluſquàm reliqui, te colit, atque colet.

ADMO-

ADMODVM EXCELLENTIS Domini Alphonſi Beniuenij, Doctoris, Syracuſarum Archiatri, ac philoſophi eruditiſsimi, Epigramma.

SCripta diu renuit quæ Caluus tradere luci,
Edit adhuc, precibus feſſus is uſque meis.
Hic reſerat, multis fuerant quæ tecta Michael
A paucis notos, pandit et ipſe locos.
Explicat hic uaria, & ſic clarum purgat ad unguẽ
Vt nihil his dictis clarius eſſe queat.
Difficiles nodos, phyſica bene doctus in arte
Ad uotum, miro diſcutit ingenio.
Hìc hìc non deſunt academica quęque notanda,
Velq́ue Stagiritæ chromata Ariſtotelis.
Vos igitur iuuenes capiatis dogmata Calui,
In quibus, haud deerit dignus amore lepos.

Spe-

SPECTABILIS AC EXIMIAE ſpei adoleſcens Dominus Ioſeph Andolina.

Ad Lectorem Octaſtichon.

Diſcere qui cupiet logices primordia, (paruũ
Exiſtit quanquam) conſulat iſtud opus.
Proficere ut magni, quoniam ſoluere libelli:
Nanque aditus reſerant, & grauiora patent.
Diſſerere exquiret, ſed ſi ſtudioſa iuuentus,
Hinc non ſpernendos noſcat habere modos.
Hic tyro inueniet, poterunt quæ ferre iuuamen
Et forſan, miles quæ ueteranus auet.

Meuin

MEVIN DON LAZARI
Cardonæ presbyteri
Carmen.

SI illuſtrat textus Doctor nunc maximus altos
Grandiſonis pompat dulcia ſcripta modis.
Omnigenum Natura uirũ iam prouida mater
Hunc genuit, donans dotibus innumeris.
Philoſophus, vates, lepidus, quem culta Minerua
Sic fouet & gremio, cuius alumna fuit
Fonte caballino maduerunt membra triumpho
Pieridesque fauent, turba colenda ſuo.
Grammaticus, prudens, oculatus ſiue miniſter
Artis Apollineæ, ſobrius, atque pius.
Exemplar morum, candor probitatis & almæ
Virtutis templum, nobilis & genere.
Quiſquis nunc placido doctum qui perlegis ipſe
Lector ades uultu, ſic uenereris opus.

[illegible] LAZARI

[illegible]

[illegible]

MICHAELIS CALVI ET SALONIAE SICVLI HYBLENSIS,

Philoſophiæ & Medicinæ Doctoris,

SVPER PORPHYRII AD PRAEDI-camenta Ariſtotelis Introductione

CONCLVSIONES.

CONCLVSIO PRIMA.

Generis diffinitionem, non deſcriptionem modò aſsignari poſſe: licèt doctiſsimi uiri abnegent.

AMMONIVS, necnon & Boetius, ſolertiſſimi ſanè interpretes, Porphyrij opus ad librum prædicamentorum Ariſtotelis, introductorium exponentes; dum in capite de genere quærunt, quanam ratione author idem Porphyrius genus deſcripſerit (illud potiſſimùm de quo apud Phi

Aliorũ opinio cur genus non diffinitur.

loſophos habebatur ſermo) non autem diffiniuerit, vt contextus verborum ſeries ibi iacet; concorditer & cum illis expoſitores quamplurimi aſſerũt, genus ob hoc diffiniri non poſſe, quoniam propria diffinitionis ratio eſt, vt ex rei diffinitę genere, ipſa conſtet & differentia. quum igitur genere genus careat, ſecus enim à generis ratione deficeret, & diffinitione pariter carere neceſſum eſt. Hinc ergo deſcribi duntaxat, diffiniri verò nequaquàm poſse genus illi concluſerunt.

Impugnatio.

Hoc (pace tantorum virorum) rationi minimè conſentaneum nobis viſum eſt: quoniam æquiuocationem ſub queſtione latere quandam coniectamur. Genus enim (ceu nobis videtur) duplicem ſortiri conſiderationem poteſt; illam nempe quæ ab ipſa vocis intentione deſumitur; atque eam quæ eidem intentioni, ſubiectę rei inhæret. Primam, quæ ab ipſa generis nomenclatura importatur, formalem: Secundam autem, quæ ab eo, quod tali ſubſternitur nomini, ortum ducit, materialem Logici nuncupant. Si ergo genus ſub ſecunda hac conceptione contemplabimur, diffinitione donari nullo prorſus pacto poterit quoniam illud quod generis ſubijcitur uoci, cùm ſuperius quoddam ſit, alio carebit ſuperiore, quod ſit illius diffinitionem tanquam genus ingreſſurum: generis nanque genus, vt ſic conſiderati aſſignari nequit, ut Ammonij argumentabatur ratio. Si enim animal ſub ratione qua genus eſt; diffinire vellemus, nequaquam profectò poſsemus: quanquam deſcriptione, vel aliqua alia declaratione eiuſdem naturã manifeſtare fas eſset. quandoquidem ſi diffiniretur, non vt genus, ſed quatenus ſpecies diffinibilis eſset, quippe quæ ſola diffinitione gaudet, quemadmodum inferius fortè tangemus. Animal enim ſi diffinitur, quatenus quædam animati corporis ſpecies eſt, diffinitioni ſubijcitur.

Genus dupliciter ſumi.

citur. quapropter ſubſtantia,quantitas,qualitas,ac cæterorum Prædicamentorum ſupremum genus quodlibet,quę quidem ea conditione genera ſunt, quòd ſpecies nequaquam eſſe queunt,diffiniri poterunt nunquam. Si autem genus,vt prima conſideratione ſumptum,contemplabimur,quatenus ſcilicet formaliter intelligitur, illud diffiniri poſſe aſſeueramus. Quid enim(quæſumus)prohibet, genus, vt ſecundæ intentionis nomen repræſentat,diffiniri?Nanque cùm diffinitur,non niſi vt ens quoddam rationis eſt, diffinitione donatur: qua occaſione, vniuerſale ipſum,vel aliud quoddam ex entium rationis numero, vicem generis ſuam ipſius diffinitionem ingredientis ſortietur.inter quæ profectò rationis entia,genus,generis dignitate non potitur, quia genus non eſt;ſed entium eorundem quoddam vnum, ideſt, quædam entis rationis ſpecies: haud ſecus,quàm id quod ſpecies,ſeu proprium, ſeu ſyllogiſmus,aut enthimema, aut deffinitio, demonſtratio,oratio, & cætera huiuſmodi innumera, nuncupantur: quorum ſicuti vnumquodque diffiniri poteſt,cùm minimè generibus careant, ita pariter nomen hoc, Genus,diffinietur diffinitione exprimente quidnam illo nomine importetur. Vnde ſi coordinationis arborem, quemadmodum in realibus fit prædicamentis,entium rationis erigere liceret;genus hoc ipſum,de quo agitur, non loco & generis dignitate inſignietur:ibi enim generis ſubire rationem minimè poterit; ſed inter infinitas entium rationis ſpecies connumerandus accedet: & vt ſic in proprio ſuo genere, ac prædicamentaria intentionalium entium coordinatione diffinitionem non aufugiet:quam coordinationem, illarum realium entium inſtar efformare, priuſquam pręſentem diſputationem terminemus,conabimur. Cæterùm,ſi genus hoc modo conſideratum, nec diffiniri poſſe

Expoſitores illi contendentes inquient;occurremus nos aſſerentes, quòd hoc non proueniet ob adductam ab eis rationem, qua genere carere genus innuebant,cùm in propria(ceù prefati ſumus)coordinatione genere fruatur: Sed forte alia eademque inferiùs diſcutienda.

Alia impugnatio. Verùm ſi Ammonij ac Boetij preposito argumento diffinitione carebit genus,eodem certè illam obtinebit ſpecies: quippe que genere,eãdem diffinitionem ingreſſuro ſcateat. Nos attamen non videmus aliquam à Porphyrio ſpeciei attributam diffinitionem, que eidem aptiùs ac ueriùs congruat, quàm illa generis ipſi generi.Nec refert,id quod circumfertur, adducere; ſpeciem nempe diffiniri ſolam: quia quum duas illas, quas generi attribuimus conſiderationes,æquè ſpeciei competere non negemus;veritatem inquirenti,ſpeciem diffiniri verè ſecundo modo ſumptam, fiet obuium, quatenus per ſpeciem,id quod tali nomini ſubſternitur, intelligimus; atque hoc eſt cuius ſolitis diffinitio aſsignata redditur: & quòd ens eſt reale, cuiuſmodi homo, leo,bos.At non hac conſideratione accepta, ſpecies eſt à Porphyrio diffinita; cuius gratia inferi poſſit, fuiſſe ſpeciem diffinitam,genus autem minimè; ſed vt prime contemplationi, quam declarauimus, ſubijcitur;id nempe,quod ſpeciei uoce ſeu nomine repreſentatur: de quibus eo opere agit Porphyrius, quod & bonarum literarum cultores,ſcopo alludentes,de quinque vocibus inſcribunt. Non enim de rebus eſt tractatus ille:&uocum earundem quinque, quemadmodum reliquarum adhuc logicaliùm diffinitiones,ab intentionibus ortum auſpicantur, etſi rebus has inherere non negamus. Species igitur vt non ſumitur pro re,quæ à tali uoce ſignificatur,non magis quàm genus diffinitione gaudebit; nec illa iſto minus,quandò & illa,& iſtud,ſub rationis ente

Dubitationis ſolutio.

collocentur, ac in eodem entium rationis prædicamento reponantur, atque in pari coordinatione, ſpecierum ſitum & rationem nanciſcantur; nec magis, aut minus alterum altero, naturæ entis rationis exiſtit particeps. Vnde ab ipſa fortaſſis ueritate coactus, in tractatu de ſpecie videns Ammonius, quòd ſpecies eſſet adhuc, ſicuti genus deſcripta, non autē diffinita; veritus ne in eum quis argueret, nanque genus exponēs, ob illam rationem ipſum deſcriptum, non diffinitum fuiſſe interpretabatur; quia (vt iam præfati ſumus) genus quum eſset, diffiniturum genus deſiderabat, quonam argumento ſpecies, cùm genus obtineat, quo diffiniri cōmodè queat, eſt à Porphyrio pariter & ut genus, non diffinita, ſed deſcripta: Reſpondet bonus Ammonius, ob hoc ſpeciei non fuiſſe diffinitionem aſſignatam, quia diffinitiones rerum ſunt, quarum naturas declarant: genera verò, ſpecies, ac reliqua rationis entia, neque res ſunt, neque diffinitas naturas habent; ſed voces cùm ſint, res non exiſtunt: at voces iure diffiniri nequeunt. Sic ille. Hinc igitur iam colligere licet, (quum veritas vna ſit, una ſemper & uno modo ſe habens,) doctum Ammonium ſibi ipſi fuiſſe inconſtantem: aliam nanque rationem adduxit, cur non fuerit genus diffinitum; & item aliam, cur nec ſpecies: cùm vtrique quæſito debebat unica ſatisfacere. Quando ergo in propoſita concluſione noſtra, genus diffiniri poſſe aſserimus, per genus, id quod generis nomine, ſiue voce importatur, intelligimus, quatenus ens quoddam ſecundæ intentionis eſt: nanque ut tale, acceptum genus, quin diffiniatur, nihil eſt quòd prohibeat; cùm & genus & differentias obtinere poſſit eo modo quo reliqua rationis entia, quæ diffinitionem, ceu ipſis competere poteſt, admittunt; quippe cùm realia entia minimè ſunt. Genus igitur quando fuit à Porphyrio ita diffinitum,

Ammo. lapſus.

quòd ſcilicet ſit id quod prędicatur de pluribus ſpecie differentibus in eo quod quid, rectiſsimè fuit hæc fortaſsis generis aſsignata diffinitio: nam ly, Quod prędicatur, ſiue Prædicabile, (idem enim eſt dicere prædicabile, & id quod prædicatur,) terminus eſt quidam ſeu vox entis rationis · & reſpectu huius nominis, Genus, vniuerſalioris rationem poſsidet ſeu generis, quod poſsit eius ingredi diffinitionem. Quoniam quodcunque genus prædicabile eſt, ſed non omne prædicabile genus erit, ſicuti claret, Non tamen undique uera huiuſmodi diffinitio nuncupabitur, cùm entis veri ac realis non ſit.

Differentiam diffiniri. Eadem etiam ducti perſuaſione tenemus, Differentiam ipſam, tertium prędicabile, diffinibilem eſſe. Cęterùm ſi eidem illud, quod & generi, obijci poteſt, quòd ſcilicet diffiniri nequeat, cùm Differentia diffinitionem cum genere complectura, differentię prędicabili diffiniendo non attribuatur, ſicuti neque generi genus; abſurdam hanc eſſe argumentationem reſpondemus, illud confirmantes, quod & de genere aſſerebamus. Nam ſi perfecta veraque Differentiæ aſsignari nequit diffinitio; prouenit hoc non quia differentia eſt; ſed quia non eſt ens reale, quod veræ diffinitioni ſubijcitur, ſed vox eſt quędam, ſecundęque intentionis nomen. Vnde quo clypeo Differentiam diffiniri poſſe, tuebitur Ammonius, eodem generis diffinitionem, nos tradi poſſe defendemus, par cùm ſit vtriuſque conditionis inſtantia. Dicamus attamen neutrum prædicabile *Summa.* diffiniri poſse, non quia alterum genere, differentia verò alterum caret; ſed quoniam realia entia, quorum veræ aſsignantur diffinitiones, nequaquam ſunt. hæc nanq; realia cùm ſint, pariter & ſubſtantialia exiſtunt. At diffinitiones veræ, rerum ſubſtantias habentium, ſunt; quippe cùm re-

rum explicent diffinitiones ipſę ſubſtantias. vnde ab Auerroiſtis diffinitio, inſtrumentum faciens ſcire ſubſtantiam, appellatur. Hinc conſequenter ſequitur, quòd entia, quę vera ſubſtantia non donantur, cuiuſmodi ipſa ſunt intentionalia, veram adhuc diffinitionem deſiderent. Dicamus ſecundò, vtrunque prędicabile penitus diffinitione non orbari, ea ſcilicet, quę huius claſsis entibus competere poteſt; quandoquidem nec generibus, nec differentijs, è coordinatione, ſeu prędicamento entis rationis deſumptis (ceu monuimus) nequaquàm priuantur.

Dubitatio. Cæterùm dubitatio hic non diſsimulanda occurrit. Si entium ſubſtantias habentium, diffinitiones, vt pote ſubſtantiam eorundem explicantes, duntaxat aſsignantur; ſequitur quòd nec accidentia ipſa diffinibilia erunt, quando eadem ſubſtantijs deſtituantur: immo clarius fortè elucet, quòd à ſubſtantiarum participatione accidentia longiùs abſint, quàm rationis iam dicta entia. nihilo tamen minus accidentia, realia entia, quemadmodum & ipſa ſubſtantia exiſtere, tanquàm veritati conſentaneum ab vniuerſa Metaphyſicorum ſchola eſt vt axioma receptum. *Solutio.* Huic dubitationi noua quadam concluſione ſatisfactum iri decernimus, eademque tali:

Noua cōcluſio. ACCIDENTIA ſubſtantijs non priuantur. Nec hic intelligimus, illis ſubſtantijs non priuari accidentia, quæ eiſdem ſubſunt; hoc certè, nulla dignum ſeſe offeret animaduerſione: ſed ſubſtantiales rationes ab accidentibus ipſis cōtineri concludimus. E rei nanq. notione colligi & defendi huiuſmodi pōt ꝓpoſitio, ſi per ſubſtantiam, non ꝓprium ſubſtantiæ prædicamentum, velque ea quæ in ipſo reponuntur, entia acceperimus; ſed ſi id ſolùm, quod abſolutè eſt, intellexerimus: quamuis non negemus, principaliter id quod eſt, ſubſtātijs propriè

dictis,atq. ab accidentib. cõtra diſtinctis cõgruere.
Cùm igitur ex eorum numero accidentia ſint, quæ
eſſe habent, vnde realibus entibus annumerantur;
cùmque eſſe participent,immo cum ſubſtantia pro-
priè nuncupata vniuerſam entis euacuent natu-
ram; meritò eadem ſubſtantiam ſibi ipſis vendi-
Ammonius. care fatẽdum eſt. Id ipſum doctiſsimus Ammonius
in huius Porphyrianæ introductionis expoſitione
docere voluit in ipſo ſtatim principio commenta-
tionis, de communitatibus ac differentijs quinque
vocum: vbi aſſerens,in omnibus rebus tria conſide
rari,nempe ſubſtantiam,conuenientiam, & diſcri-
„ men;protinus verba hæc ipſa ſubiungit:Subſtantiã
„ nunc voco non illam quidem quæ accidentibus con
traria eſt,ſed vniuſcuiuſque rei naturam ex quo cõ
ficitur, vt res oẽs eſſe dicantur: monitus vir iſte nu
meris omnibus abſolutiſſimus,quòd ſub priore illa
ſua propoſitione,qua in omni re tria reperiri doce-
bat,accidẽs adhuc ipſum collocandum occurrebat,
quippe quod è rerum numero ſit;&per conſequens,
ceu aliæ res,tria eadem illa,ſubſtantiam nimirum,
conuenientiam,atque diſcrimen,ſortitum iri. Hoc
quoque intuitus clariſsimus idem Doctor, ſermonẽ
Ariſtotelis de ęquiuocis,in interpretatione libri Prę
dicamentorum exponens, vbi dicitur,æquiuoca ea
eſse,quorum nomen commune eſt,ratio autem ſub
ſtantię diuerſa; quum æquiuocatio ipſa non acciden-
tibus minus,quàm ſubſtantijs euenire poſſe contem
plaretur,qua occaſione quærendum eſſet, quęnam
foret talis in ęquiuocis de genere accidentium re-
perta ſubſtantia;quæ nominis communitate ſerua-
„ ta,diuerſitatem pariat,ita inquit; Duplex Ariſtote
„ les ſignificatum nouit ſubſtantię. Vnum,quod ab ac
„ cidentibus ex oppoſito diſtinguitur, ac per ſe ſubſi
„ ſtit,illis eſse in alio habentibus,in ſubſtantia inquã.
„ Alterum, penes quod omnem ſimpliciter eſsentiam
ſub-

ſubſtantiam vocat; in quo ſignificatu vſus eſt ſubſtā ,,
tiæ nomine accidẽtibus quoq; aſſumptis &c. Ex qui ,,
bus verbis clariſsimè liquet, quo intellectu etiam de
accidentibus, ſubſtantiæ nomen enunciari queat. Eũ
demq; Ariſtotelis de ęquiuocis locum Dexippus Pla *Dexippus.*
tonicus philoſophus libro primo ſuarũ quæſtionũ
in Prædicamenta, cap. 17. exponens. verbum illud,
De ſubſtantiæ ratione, Ariſtotelis pro veriſsimo de
fendens, & adhuc verum eſſe ſuſtinens, ipſam ęqui
uocationem quodlibet prædicamentorũ genus cir-
cumire; aſſerit, quòd eo loco, per ſubſtantiã, eſſentiã
interpretari debemus, cũ non ſubſtantia tantummo
dò, ſed etiam ipſum accidens eſſe dicatur; & ipſum
eſſentiæ nomen, nõ tã ſubſtantiã, quàm cętera gene
ra cõplectitur, cùm ipſa quoq; entia appellẽtur. Eru
ditiſsimus Simplicius pariter docet, accidentia non
carere ſubſtãtia, ſi tamen per ſubſtantiã formã atq;
ſpeciẽ intellexerimus, qua eſt vnũquodq;. Et ex Por
phyrio deſumens ſubdit, ꝙ per ſubſtantiam, non in
telligitur dũtaxat ea quæ propriè ſubſtantia appel
latur; ſed ea quę ſignificat vniuſcuiusq; inexiſtentiã.
Quòd ſi Latinos noſtros hac in re cõſulamus; ex Di
uo Boetio in Prædicamẽtis, & ex Dilucidatore Sueſ
ſano in primo Topicorũ, colligemus aliã præpoſitæ
concluſionis defenſionẽ. Hi nanq; aſſerunt triplicẽ
eſſe ſubſtantiã: Alia ſcilicet ſecundũ rẽ tantũ, & non
modũ; cuiuſmodi eſt ſubſtãtialis differentia, de qua
in pręſente Introductione aget Porphyrius; quę rẽ
ſubſtantia eſt, cũ ſubſtantialẽ dicat illius, cuius eſt
differẽtia, formã; modo nihilominus accidẽtali præ
dicatur in quale. Alia ſunt ſubſtãtiæ ſm rem, & mo
dũ; ſicuti ſunt genera, & ſpecies, nõ quęcũq; , ſed prę
dicamẽti tãtũmodo ſubſtãtiæ; ꝙ & ſubſtãtiæ ſunt, &
in quid, ſiue ſubſtantialiter ꝑdicãtur. Alia ſunt, quæ
ſecũdũ modũ dũtaxat, ſubſtantiæ dicũtur; & hoc mõ
quodcũq; accidens genericũ, reſpectu ſubpoſitæ ſpe

ciei,

cici,modum(in prædicatione) ſubſtantię ſortitur: quoniam in quid enunciatur, & reſpectu propriarum ſpecierum, quidditatiuum eſse dicit: ſicuti color reſpectu albedinis, & nigredinis: qui licèt ſubſtãtia non ſit, ſubſtantialiter tamen de ſpeciebus prę-
„ dicatur, & ut quid. Vnde magnus Magiſter primo
„ Topic. cap.7. dicit, quòd Quid quandoque ſubſtan
„ tiam ſignificat, quandoque autem quale, quandoque
„ verò aliquid aliorum Prædicamentorum &c. Ex quibus verbis infertur, quòd ly, Quid, omne circuit prædicamentum, non illud tantùm ſubſtantiæ.

Vt igitur ad propoſitum noſtrum reuertamur, concludimus accidentia ipſa diffinibilia eſse, licèt alio pacto ſubſtantijs & alio accidentibus aſsignentur diffinitiones; de quo aliàs. Et quum aſseritur, quòd rerum ipſæ diffinitiones ſubſtantias depromunt, quibus accidentia carent; reſpondemus, quòd diffinitiones ſubſtantias declarant, ideſt rerum naturas, eſsentias, ac quidditates; quibus quoniam (ceu ſubſtantiæ) ipſa accidentia fruuntur: ſequitur clariſsimè eadem diffinitionibus gaudere poſse, quippe cùm realia entia, ſicuti & ſubſtantię, exiſtant, quorum diffinitiones traduntur: non autem illorum entium, quę rationis entia nuncupantur; quæ quidem verè diffinibilia eſse, ſuperiùs diffusè negauimus.

Noua quorundam opinio. Cæterùm dum hæc ſcribebamus, in iunioris cuiuſdam amici ac condiſcipuli ſanè docti ſcripta incidimus, quibus hanc ipſam difficultatem commilito diſcutiebat. & tandem (ne nimiũ moremur) generis diffinitionem aſsignari non poſse, alio à iam in ſuperioribus confutato medio, ex generis natura deſumpto concludebat. Dicit enim, quòd cùm genus æquiuocum ſit, & diuerſimodè de decem prædicamentis dicatur, diffiniri nequit. Hæc ratio à ge-
Confutatio. nere (vt nos cenſemus) ſufficienter diffinitionem

non

non tollet; quoniam genus eo modo acceptum, quo accipiendum ſępius inculcauimus, nullam in Prædicamentis, licèt diuerſis, nanciſcitur diuerſitatem: nanque & ſi illa ſint inter ſeſe prorſus ac toto cœlo varia; genus nihilominus uno eodemque modo, quo in vno Prædicamento generis vices obtinet; poſsidet & in reliquis, nulla penitus in ſui ratione admiſsa varietate. Quòd ſi Prædicamenta ipſa diuerſa eſse inſtabit quiſpiam; reſpectu eorundem diuerſitatem illam ortum ducere reſpondebimus, non aũt generis. Nanque eo pacto, quo in p̄dicamento ſubſtantiæ reperitur genus, eodem & nõ alio, in illo quantitatis, qualitatis, &c. eaſdem perpetuò vices gerens inuenitur. Et ſicuti in vno prędicamento de generis ratione eſt, quòd prædicabile ſit de pluribus ſpecie differentibus; ita eſt & in cæteris nouem, ſemperque eius obſeruata proprietate ac natura, vbique genus oſtendetur. Et ſicuti non negamus, pręedicamenta diuerſitatem inter ſe poſsidere, cùm uaria (vt dictum eſt) entia ſint; vel illam ſaltem, qua vnum alio potiùs, priùs, digniùs, & clariùs entis rationem prę ſe ferant (ceù claret); ita pariter nec affirmamus ob hoc, variam in illis generis eſse conditionem; nec generis potiorem rationem in Pręedicamento ſubſtantiæ eſse, quàm in eo quantitatis; vnde recepto à ſui æquiuocatione impedimento, diffinitionis dignitate priuetur.

Fauet profectò noſtrę huic opinioni id quod Dexippus Platonicus libro primo quæſtionum in Ariſtotelis Pręedicamenta capite quarto conſcribit. Nihil enim vetat (inquit) quò minùs eorum, quæ „ multis dicuntur modis, diffinitionem quoque affe „ ramus, quæ multis adhuc modis dicatur; Nam ſi- „ cuti genus, ita id etiam quod in quid ſit, prædicatur, multiplex eſt.

Notan-

Multorũ error. Notandus hic obiter quorundam Latinorũ, ac clarorum nominum lapſus; qui genus ideo non reponi in aliquo prædicamento inquiunt, quoniam illa omnia decem circuit: quocirca propriam in aliquo ſedem ſibi vendicare nõ valet. Vana certè perſcrutatio: quoniam (vt dictum eſt) genus in Prędicamentis non collocatur: quia illa realia cùm ſint, ea quę in illis reponuntur, realia eſſe ſingula neceſſum eſt. Genus autem ens rationis eſse ſatis ſuperque dictum putamus.

Notãdũ. Omittendum illud non eſt, quòd potior ac tutior generis diffinitio ab ea quã proprio capite Porphyrius attulit, aſsignari non licet: tum quia ita ratio ſuadet: tum etiam quia eidem Magnus Magiſter capite quarto primi Topicorum ſubſcribit ad verbum, vt eadem formaliter ab vtroque authore generis reddatur diffinitio. Quod ſi dicetur, in diffinitione generis, ens rationis vtpote quod eſt ſuum ſuperius poni debere, hac forma: Genus eſt ens rationis prædicabile de pluribus, &c. *Obiecti dilutio.* Reſpondebimus quòd quamuis ens rationis vocis generis ſit tanquã genus remotum attamen, non proximum genus eſt. at hoc, non illud in diffinitionibus recipi conſueuit: quod nihilominus nec abijcitur, quando in proximo implicitè contineatur: ſicuti hominem diffinientibus, ac quòd animal rationale ſit determinantibus; ſubſtantiam corpoream diffinitioni adiungere, neceſſarium non reputatur: quippe cùm ſuperiora illa genera implicitè ab animali cõprehendũtur.

Aliorum incuria. Nec valet, quod eidem Porphyrianæ diffinitioni ex Muſa Braſauolo doctus condiſcipulus noſter Pacca impingit, quòd ſcilicet, Prædicabile, genus eſſe in generis diffinitione nequeat: quia tunc diffinitio illa nugatoria adduceretur: quoniã talis per eos formaretur, Genus eſt prædicabile, quod prędicatur de pluribus: qui loquendi modus iſti æquiualet, Genus

eſt

eſt prædicabile, prædicabile &c. Hæc in Porphyriũ digreſsio; quę qualisve ſit, non opus eſt vt multis à nobis demõſtretur. Sed quoniam prędicabile genus eſse, non vocis generis tantùm, ſed omniũ quin que vocũ inſinuauimus; dicamus breuiter dictionẽ illam, Prædicabile, in generis diffinitione geminatã apponi non debere: quoniam idem dictu eſt, genus eſt prædicabile, & genus eſt quod prædicatur. cum idem vtrunq. ſignificet. Nugatione igitur neglecta, hoc pacto generis diffinitionem legimus, genus eſt prędicabile de pluribus &c. Itaq. in Porphyrij gratiam dicta ſint: quamuis ex propoſitę concluſionis noſtræ ſerie diffinitionem illam tueri nõ teneamur. Sed noſtra opinio fuit, declarare genus diffiniri poſse: uel ſi diffiniri nequit, hoc non argumento ab Ammonio & Boetio adducto proueniet, quia ſcilicet generis genus non conceditur, quum nullius illud momenti fuiſse demonſtrauerimus; quia (vt iam ſatis exarauimus) genus per aliqua rationis entia, quæ huic voci generis, tanquã genus, & tanquã differentia erũt, diffiniri minimè repugnat: at ſi penitus talis diffinitio vera non erit, non ex generis ſeu differentię carentia hoc procedit; ſed quoniam ens reale, cuius veræ eriguntur diffinitiones, non eſt.

Cæterùm nolumus hic ſilentio pręterire, quòd quamuis ſæpius repetitum ſit, entia realia diffiniri; hoc ſanè intelligi conuenit, quòd ſcilicet, omnia ea quæ diffiniuntur, entia realia ſint: verumtamen non ſequetur hinc, quòd omnia realia entia diffinibilia ſint, quandoquidem, quamplura entia ſunt, eademq. realia quæ diffinitione nequaquàm inſigniri poſſunt: pro cuius intelligentia hanc proponimus concluſionem, curioſis minimè ingratam: *Notãdũ.*

NEQVE VNIVERSALIA, neque particularia, diffinibilia ſunt. Sed quoniam, primo intuitu ab omnibus entibus diffinitionem *Alia cõcluſio.*

dirimere preſens videtur propoſitio; ideo ſic limitanda venit: quòd neque vniuerſalia, ideſt maximè vniuerſalia, quę alio nomine vniuerſaliſsima nuncupantur; neque particularia, hoc eſt, maximè particularia, cuiuſmodi ipſa ſunt indiuidua, diffiniri poſſunt. Huius rei veritas ex famoſa illa Boetij concluſione pendet, nimirũ, quòd ſola ſpecies eſt, quæ diffinitur: Et reddens Ioannes Grammaticus, cognomento Philoponus, in primo de Anima tex. com. 4. rationem, quare Ariſtoteles indagationem de anima inter difficillimas poſuit; inquit, hoc fuiſſe,

Philoponus.

„ quia non omnium eſt diffinitio, neque enim gene-
„ raliſſima diffiniuntur, neque indiuidua: ſed dun-
„ taxat deſcribuntur: vniuerſaliſsima quidem per ea,
„ quæ per ſe propria ſunt; indiuidua verò per ea, quæ
„ primùm acciderunt. Hæc ille.

Quum enim ex genere ac differentia ipſa conſtet diffinitio, diffinitionem generaliſsima entium genera, & ea quæ vniuerſaliſsima ſunt, non obtinebunt; cùm veris careant generibus, diffinitiones perfecturis. Nec ipſa item indiuidua, quum veras, & eſſentiales differentias non poſsideant, quibus cum genera diffinitiones complerent ipſas. Per accidens enim indiuidua, & (vt fertur) numeraliter diſtinguuntur; non autem formaliter, aut per ſe; cùm in vna ratione ſpecifica, & eſſentiali, quotquot ſub una ſpecie reponuntur, conueniant. Relinquitur igitur, quòd ſolùm illa diffiniantur, quę vera genera, veraſque continent differentias: & huiuſmodi ſolæ ipſæ ſunt ſpecies. Verum eſt ergo illud poſtulatum, quòd ſolius ſpeciei eſt diffinitio.

Ex ijs, quę in hac diſputatione tacta ſunt circa generis diffinitionem, quòd ſcilicet ipſum, quamuis reale ens non ſit, per ea quę in Prædicamento entium rationis reponuntur, diffiniri poteſt; & quòd ex talibus entibus arborem adhuc, ſiue Prædi

cationum

cationum coordinationem, ſicuti in entibus realibus, effingere licet; quã & nos in ſuperioribus deſcribere pollicebamur; quod & hoc loco perficere ſtudentes, nouam ſtudioſis ſubſtinendam proponimus concluſionem talem:

PRAEDICAMENTA vndecim ſunt. In qua nos per pręd icamentum, non nouum entium genus reale ab Ariſtotele pręterm iſſum intelligimus; ſed aliam quandam entium, eorundemque intellectualium coordinationem ſecundũm ſub & ſupra, ſeũ iuxta prędicationem, & ſubiectionẽ diſpoſitorum: Quæ, quoniam non ſecus ac entia illa realia coordinari ac in prędicamentali arbore diſponi queunt; ideo ſub proprio entium rationis prædicamento aſſeuerare poſſumus, quòd collocentur; quodque prędicamentaria ratio ſeu forma & entibus realibus, & entibus rationis par ſit; licèt ea, q̃ ĩ talibus coordinationibus reponuntur, eandẽ inter ſe ipſa conſeruent diſtantiam, q̃ & intentionales ipſi cõceptus à rebus iam dictis in rerum natura exiſtẽtibus ſeruabant. Cæterùm, ſi curioſiores iuuenes talis entium rationis prædicamenti diſpoſitionem ſcire exoptauerint, illam nos ex conſummatiſſimo bonarum ſciẽtiarum profeſſore, Auguſtino Nipho Sueſſano mutuatam afferemus, quam in ſuo Metaphyſices dilucidario libro ſexto diſputatione vltima deſcribit. Ponitur enim ibi pro generaliſſimo genere Ens rationis; ſub quo, pro ſpeciebus Singulare, & Vniuerſale aſſignantur; ſub ſingulari, Hoc ſingulare, & Illud ſingulare. Sub uniuerſali verò, id quod prædicatur in quid, & id quod prædicatur in quale. Sub illo id quod de differentibus numero, & eſt Species; & id quod de differentibus ſpecie, & eſt Genus. Sub iſto, id quod prædicatur in quale eſſentiale, & eſt Differentia; & id quod in quale, Accidentale. Hoc ſi conuerſim, eſt Proprium,

Noua cõcluſio.

Prædicamenti entis rationis ſecundum alios coordinatio.

ſi non conuerſim, eſt Accidens. Hinc cognoſcent ſcholares entium rationis coordinationem,& quinque prædicabilium, quorum expoſitioni intendimus, ſufficientiam non minùs neceſsariam, quàm vtilem. Verùm enimuerò,ſi ea quę circa materiam iſtam nos ſentimus, explicare fas eſset, ab ipſa rei natura ducti,dicere auderemus,huiuſcemodi coordinationem,non vniuerſam entium rationis ſupellectilem comprehendere poſse:ſed meram eſse entium illorum rationis, quę prędicantur, enumerationem,ſiue(vt diximus)ſufficientiam; illis quæ vltimò ſubijciuntur duntaxat adiectis,nimirùm ſingularibus: quæ nihilominus num ſub tali ſingularium voce inter entia rationis numeranda accedant, & ſub quo intellectu, alij cenſeant.Et præterea quàm plurima adhuc entia rationis ſuperſunt, quæ ſub expreſsis in tali prædicamento entibus reduci difficulter queunt; cuiuſmodi ſunt nomen,verbum,propoſitio,conuerſio,ęquipollentia,ſyllogiſmus,& infinita ferè alia, quæ hic enumerare non expedit, in Logica tamen,vt rationis entia conſiderata. Quæ quidem,quoniam neque genus, neque ſpecies, neque differentia, neque proprium, neque accidens ſunt, remanent(ni noſtra nos fallat opinio)à prædicamento rationis tali ſerie concinnato,& à Sueſsano adducto,exploſa.

Coordinatio entium rationis noſtra.

Quapropter,ſi conſtruendi illud nobis concederetur libertas,aliunde huius coordinationis exordium peteremus. Quum enim entium rationis Intellectus ipſe architectus opifexque ſit omnium, ſicut vel eorundem propria præſefert nomenclatura;neque Intellectus idem quicquam fabrefaciat,quod pariter ens rationis non ſit;ſequitur,tot taliaque ipſa entia rationis eſse, quot qualiaque Intellectus edit: atque illa prædicamentariarum ſpecierum primarum vices gerere, circa quæ primitus author ipſe

Vnde principium huius coordinationis petendum.

ipſe Intellectus verſatur quæ ve priori eiuſdem operationi ſubijciuntur : illaque deinceps, quę conſequenter fiunt. Vnde pro genere huius prædicamenti generaliſsimo, ipſum proponemus Ens rationis. ſub quo, pro primis ſpeciebus hæc collocabimus; Simplex, Non ſimplex. Simplex illud rationis ens eſt, circa quod primùm intellectus operatur, & cum quo nec ueritas ſtat, nec falſitas, vt docet Ariſtoteles tertio de Anima tex. com. 21. Et rurſus tale ens ſimplex, vel eſt Incommunicabile alijs, vel Communicabile. Incommunicabile illud eſt, quod de nullo dicitur, vocaturque indiuiduum ac particulare, ſub quo omnia omnia ſingularia, rationis entia ſingulariter prolata, reponuntur; vt, Hoc nomen, hoc verbum, hoc prædicatum hoc ſubiectum, hęc copula, hic terminus &c. Communicabile illud eſt, quod de pluribus prædicatur, appellaturque Vniuerſale; ſub quo communes illę quinque voces, ac prædicabilia collocantur, de quibus in pręſente introductione tractat Porphyrius; & ex quibus duntaxat entium rationis prædicamentum ad aliorum mentem conſtructum apud Sueſſanum offendimus. Tale autem vniuerſale, vel prædicatur in quid, vel in quale. Si in quid, vel de differentibus ſpecie, & eſt Genus; vel de differentibus numero, & eſt Species. Si in quale, vel in quale eſſentiale, & eſt Differentia: vel in quale accidentale, & tunc ſi non conuertibiliter, eſt Accidens; ſi autem conuertibiliter, eſt Proprium. Ens rationis non ſimplex eſt illud circa quod ſecundò intellectus operatur; & cum quo ſtat veritas, & falſitas. Et hoc aut eſt illud, quod ab ipſo Intellectu ſimplicia nuper dicta vel componente, vel diuidente efficitur, cuiuſmodi eſt oratio, enunciatio, oppoſitio, conuerſio, ſuppoſitio, æquipollentia, præcognitio, & innumeræ propoſitionum paſſiones; quibus ſcilicet, illa dicitur

affirmatiua,negatiua, conditionalis, conſecutiua, excluſiua,reduplicatiua,exceptiua,&c. de quibus omnibus agit Ariſtoteles in libro de Interpretatione, vel,vt uolunt alij,in ea Logices parte, quam artem ueterem nuncupant: omnia nanque entia rationis hucuſque recenſita in tali parte, contenta tractantur. vel Ens rationis non ſimplex, eſt illud circa quod intellectus, ac ſi tertiò operans (ceu diuino expoſitori Doctori Sancto placet) atque ſuper iam dicta diuiſa,& compoſita,diſcurrens ac ratiocinans verſatur. cuiuſmodi ſunt Inductiones,enthimemata,exempla, probationes, demonſtrationes, omnesq; ſyllogiſmorum,& argumentationum ſpecies; quibus intellectus ipſe, alicuius ignoti notitiam, cognitionemq; venatur: & de his quibuſcunq; tractat Ariſt. in libris Analiticis,Topicis,& Elenchis; quæ pars logices noua inſcribi ſolet; vt omnia rationalis ipſa ſcientia ſiue facultas, nempe Logica, rationis complectatur entia, & artem ſubiecto Magnus Magiſter adæquaret. Et hoc pacto (ni fallimur) entium rationis prædicamentum effingere poterimus:quanquàm doctiores, quibus noſtra corrigenda ac polienda committimus quæcunq;, altiorem poterunt nanciſci methodum.

Obiectiones. Verùm quoniàm idem Sueſſanus coordinationem,ſiue entium rationis prædicamentum, illud adhuc quod ex eodem mutuatum ſuperiùs deſcripſimus,aliquibus motus rationibus,non admittit;noſtra intereſt, vt talibus eiuſdem perſuaſionibus ſatisfiat.Mouetur magnus iſte Doctor per Auerroem primo Metaphy. com. 17.& lib. 12. eiuſdem com. 14. in quibus locis habetur, quòd vniuerſalia ſunt formæ,& ex conſequenti entia rationis quæ formæ non ſunt, in prædicamento eſſe nequeunt. Dicit quoque ibi in primo Metaphy. Auerroes,genus eſſe formam mediam inter puram potentiam, pu-

runiq; actum. Vlterius in 7. Metaphy. infinitisque alijs locis ſcribitur, diffinitionem formę vniuerſalis eſse. Ad huiuſmodi inſtantias, quampluri masq; alias, quę ſimili innixæ fundamento erigi poſſent) vnica opponemur reſponſione; quòd ſcilicet Auerroes ibidem, de eo loquitur genere, quod primas reſpiciens duntaxat intentiones, per realia prędicamenta diſponitur. Sermo autem ipſi, vel intentio, nulla de eo genere exiſtit, quòd merè rationis entia, ſecundoque intellecta ſupponit. At nos de entibus rationis diſſerimus, quorum ideo prædicamentariam ereximus arborem: Quia cùm prædicamenti nomen coordinationem quandam entium ſecundùm ſub & ſupra diſpoſitorum importet, atq; talis coordinatio inter entia rationis obſeruetur inuenta; poteſt pariter eorundem rationis entium quoddam prædicamentum conſtrui, quod realium prędicamentorum ritum, diſpoſitionem, atque formam duntaxat imitetur: non quòd, vt illa, reale ſit, ob quod dicatur Magnus Magiſter diminutus, ceu idem Sueſſanus inferri poſſe imaginatur. Non enim vndecimum enumeramus prædicamentum; ac ſi vndecim realium entium genera reperiri ſtatuamus, quorum decem tantùm ab Ariſt. tractata vel cognita fuiſſent; ſed quia decem realium entium coordinationum inſtar, aliam pro entibus rationis efformari non repugnat: quæ nihilominus formæ reales non ſunt, ſed nudæ intentiones. Poſſunt tamen aliquo pacto dici formæ, ſi tanta vrget neceſſitas, vt ea quę in prædicamentali ordine (etiam intellectuali) reponuntur, quòd formę rationem ſapiant, vt ex Auerroe inculcabat Sueſsanus; pro quanto ſcilicet, huiuſmodi ſecundæ intentiones intellectum quoquomodo formant. Nec penitus diffinitionum expertes ſunt, quando entibus adhuc ipſis rationis, diffinitiones per additamenta (vt fer-

Solutio.

Obiecti dilutio.

tur)& vt illis eiſdem competit aſſignentur. Quapropter ſi tantùm eam ſpectauerimus coordinationem, meramq; diſpoſitionem, quę in prædicamentis obſeruatur, cùm vnica in ſingulis, illa obſeruetur, poſſent iuuenes hanc nouam proponere concluſionem:

Alia concluſio. PRAEDICAMENTVM vnum ſolum eſt. Pro quanto ſcilicet, vnica ſimplexve in omnibus prędicamentis offendatur conſtructionis ratio, ac methodus; quæ in generum, ſpecierum, differentiarum, ac ſuppoſitorum diſpoſitione conſiſtit. nec nō par eſt, in omnibus prædicamentis ſecundùm ſuperiùs & inferiùs, ſitus regula; qua generaliſſimum genus omnibus ſupereminear, ſubdatur autem ſpecialiſsima ſpecies, quę denique de vltimis duntaxat prędicetur particularibus &c. Similiter etiam affinitate ſermonis, ſub alio principio, quædam alia poteſt formari concluſio talis:

Alia concluſio. PRAEDICAMENTA ſunt duo. Si enim per prædicamentum, ritum, ac prædicandi modum intellexerimus: quoniam ea omnia quæ prædicantur, duplici enunciationis modo ſiue nota prædicantur; in quid ſcilicet, & in quale: ideo duo prædicamenta eſse affirmamus, ideſt, duo prædicationum genera. Et licet omnia nouem accidentium prędicamenta varios ſortiantur inhęrendi modos, ſimplex tamen illis eſt prædicationis nota; nanque omnia in quale dicuntur. Et quamuis Ariſtoteles in exordio ſolius prædicamenti qualitatis dixerit, quòd ſecundum eam quales dicimur; quod in nullo cæterorum accidentalium prędicamentorum affirmauit: Dicimus nos quòd ly, Quale, preſsiùs ibi ab Ariſtotele fuit acceptum. quod tamen hic à nobis in maxima ſui vniuerſalitate ſumitur; quatenus nempe prædicari in quale, omnia prędicamenta ab eo ſubſtantiæ circuit. Nanque cùm ea, quę prædicantur,

Notādū.

tur,aut in quid, aut in quale dicantur; & dici in quid ſubſtantiæ duntaxat competat; reliquum eſt, quòd dici in quale, nouem alijs prædicamentis congruat: quoniam illorum quodlibet accidentalitatem,per ly In quale,impoṙtatam præſeferunt.

Nec ualet aſserere,quòd unumquodque prædicamentum,licèt accidentale ſit,de illis quę in ſui proprij prædicamenti, coordinatione reponuntur, in quid prædicatur·quandoquidem de albedine color, & de magnitudine quantitas, in quid enunciatur: Non ualet,(inqûimus:) quoniam ea accidentium prędicatio attenditur,qua eadem de illis dicuntur, quibus inhærent & accidunt: iuxta quod(ut retulimus)dixerat Ariſtoteles,qualitatem eſse ſecundùm quam entia qualia dicuntur. Poteſt inſuper alio medio,diſputationis cauſa, alia erigi propoſitio huiuſmodi: *Obiectio tollitur.*

PRAEDICAMENTA tria ſunt. Cuius fundamentum hoc eſse poterit; quia tria ſunt,quæ neceſsariò de particulari ſubiecto prædicantur.Subſtantia nimirùm,quantitas,& qualitas: quandoquidem ea quæ de ſubiecto prędicantur, uel dicunt ipſam eiuſdem ſubiecti eſsentiam, & talia ſubſtantiæ prædicamentum conſtituunt:uel quæ eandem eſsentiam de neceſsitate conſequuntur,ut puta,eidem inhęrentia. Quumq; rerum eſsentię ex duobus conſtent,materia nempe, & forma; ſequitur quòd ea quę ſubiecti eſsentię inhærent, uel eiuſdem materiam conſequuntur; & huiuſmodi ea ſunt quæ in prædicamento quantitatis collocantur: uel formam, & talia ſub qualitatis prædicamento reponuntur. Quapropter dici poteſt, quòd tenet hæc noſtra concluſio de intrinſecis, neceſsarijsque prædicamentis;& talia(ceù diximus) tria illa ſunt à nobis expoſita. *Alia concluſio.*

Notādū Nec mirum alicui videri debet, quòd duo illa prędicamenta, quæ accidentalia ſunt, intrinſeca, ac neceſſaria nominauerimus; quandoquidem talia accidentia, ex eſſentialibus profluunt principijs: ex principio nanq; compoſiti materiali quantitas; ex formali verò qualitas emanat. Reliqua autem ab his prædicamenta, merè extrinſeca dici poſſunt; cùm indiuidui eſſentiam neceſſariò non conſequantur.

Obiectio. Dicet aliquis, quòd non omnis quantitas materiale ſubiecti principium inſequitur, quoniam illa quę à Philoſophis terminata nuncupantur, formā ſequitur. *Solutio.* Reſpondebimus pro nunc, quòd tota quantitatis ratio ab ipſa materia dependet: & ſi quantitates terminatæ formam inſequuntur; illam, vt in materia eſt, comitantur, & non vt eſt forma abſolutè conſiderata. Cuius clariſſimum argumentum ex illis deſumitur formis, quæ abſtractę ac penitus immateriales ſunt; quibus nulla inhæret quantitas. Vlteriùs, quantitates illæ terminatæ, purę quantitates dici nequeunt: ſed qualificatæ. Nanque illę terminationes, qualitatis rationem important. At huiuſmodi materiæ perſcrutatio ad pręſens inſtitutum non attinet: ſufficiat tantummodò Tyronibus quibus noſtra hæc commentaria conſcribuntur, capita quòd depromimus, vnde illis diſputabiles propoſitiones elicere liceat; fortè (vt putamus) non ingrata, in quorum gratiam, aliam adhuc ſuper eadem materia adducere concluſionem minimè grauabimur, probabilem, & non inutilem:

Alia concluſio. PRAEDICAMENTA quatuor ſunt. Huius propoſitionis fundamentum illi pręcedentis innititur. Nam illud, quod prędicatur de ſubiecto aliquo indiuiduo, vel dicit id; quod ipſum ſubiectū eſt, eiuſdemque enunciat eſſentiam; & tale prædicamentum ſubſtantię importat: Vel tale prędicatum

ſumitur,

ſumitur, quatenus eidem inhęret ſubiecto; & talis inhęrentia dupliciter eſſe poteſt, vel abſolutè, vel reſpectiuè. Si abſolutè, ſeu per ſe inhęret, vel vt conſequens formam,& erit prædicamentum qualitatis;vt paulò ſuperius exponebatur: vel vt conſequens materiam, & erit prædicamentum quantitatis. Si autem in ordine, & reſpectu ad aliud, tale prædicatum de ſubiecto dicetur;tunc reſultabit aliud prædicamentum,quod ad aliquid inſcribitur. & ſic iuxta quatuor varios prędicandi modos,quatuor eſſe prędicamenta præſens propoſitio concludit. Cęterùm ſex reliqua prędicamenta ab Ariſtot. enumerata & expoſita diuerſum quendam à præſcripto prędicandi modum obtinent: quandoquidem eadem de ſubiecto prædicantur vt extrinſeca quędam,ac per denominationis modum. Varię tamen ſex eiſdem principijs rationes prædicandi contingunt: iuxta quas,ſex diuerſarum naturarum generaliſſima genera nuncupantur: Hęc ex profundiſſimis, ac Peripateticis ſancti Doctoris commentarijs excerpta huc adduximus: quę diligens Thomiſta,ex quinto Metaphy. lect. nona. ex tertio Phyſic. lect quinta.& ex opuſculo 48. tractatu de Prędicamentis, in fine cap. primi, petere poterit. quibus bonus Sueſſanus libro quinto ſui dilucidarij diſputatione ſeptima ſubſcribit. at quę in oppoſitum à ſciolis adducuntur, facillime diluuntur. nec præſens occaſio longiorem in illis refellendis ſuffert digreſſionem. Tandem demonſtremus expedit,ex interpoſitis his nouis concluſionibus, Ariſtotelem vel diminutam vel ſuperfluam de prędicamētis habuiſſe tractationem, inferri non poſſe **S.Thom.**

Nam, ſi nos primò diximus prædicamenta eſſe vndecim,cum decem realibus prædicamentis, entiū rationis prædicamentariam illam enumerauimus coordinationem, de qua Ariſt. mentionem facere, **Epilogus.**

nec cogebatur, nec debebat. Si ſecundò aſſeruimus, prædicamentum eſſe vnum, nos formalem rationem prædicamentariȩ diſpoſitionis intelleximus. Ariſtoteles autem prima rerum genera perſcrutatus eſt, quæ tali forma ſeu ritu entia contìnet diſpoſita. Si tertiò affirmauimus prædicamenta eſſe duo; nos modum prædicandi conſiderauimus prædicamentorum, duabus notis, ſeu formalibus ſignis donatum; in quid ſcilicet, & in quale. Ariſt. tamen modum adhuc inhærendi eorundem contemplatus eſt; qui tot variatur rationibus, quot & ipſa generaliſſima genera. Si quartò prȩdicamenta tria eſſe autumauimus, nos ea duntaxat accidentalia prædicamenta enumerauimus, quæ intrinſecam in ſubiecto arguunt inhȩſionem: ſed Ariſtot. ea quæ intrinſecam obtinet & extrinſecam. Si quintò quatuor eſſe prædicamenta concluſimus; nos ea tantùm intelleximus, quȩ in ſubiecto ſunt prædicata vel abſoluta, vel relatiua: at Ariſtot. omnia complexus eſt, vel quȩ in ſubiecto ſunt, vel quæ extra ſubiectum, ceu patuit. Circa quȩ, ſi plus quàm par fuiſſet, immorati ſumus, vltra ſcopum noſtrum nimiùm vagantes, continuationi atq; verborum affinitati attribuendus eſt lapſus; ſed parcendum interea; quia materiam non longè uariam nec penitus inutilem tractauimus. Diſputatio nanque de prædicabilibus eadem ferè cum ea de prædicamentis cenſeri debet: vel ea potiſſimum ratione, quòd ad iſtam illa dirigitur; cuius & introductio voluit ab authore Porphyrio inſcribi. Sed accedamus ad alia.

CONCLVSIO II.

Speciem ſpecialiſsimam vnam poſsidere tantùm habitudinem.

CApite de ſpecie, à Porphyrio formaliter hæc concluſio ponitur; quæ quidem ab ipſo ſtatim principio, ni ſanè intelligatur, calumniam pati poterit; & licèt ſimplicem generaliſſimo generi, & ſpecialiſſimæ ſpeciei attribuerit habitudinem; de primo quidem ambiget nemo, quum nulli tanquàm ſuperiori ſubijciatur: de ſecunda verò communis eſt difficultas. Nulli enim dubium eſt, ſpeciem ſpecialiſſimam non ſecus ac ſubalternas ſpecies duplicem obtinere reſpectum; primum, nempe ad genus, quod tanquàm ſuperius de ipſa in quid prædicatur. Secundum, ad indiuidua tanquam inferiora, numeroq; differentia; de quibus ipſa pariter in eo quod quid eſt prædicatur. Attamen dictum Porphy. quòd vnam retineat habitudinem, intelligi uno modo poteſt ſecundùm vocem; hoc eſt, quòd ipſa ſpecies, ſecundùm vtrunq; reſpectum vno & ſimplici vocetur nomine: & ſicuti ſpecies vt à genere ſibi proximo contenta nuncupatur, ſic vt ſibi ſubiecta indiuidua continet ſpecies quoq; appellatur, longè varia à ſubalternis dictis ſpeciebus diſpoſitione: illæ ſiquidem ad earundem ſuperiora genera collatæ, ſpecierum nomina poſſidebant; ad alias verò ſuppoſitas ſpecies, generum nominibus donabantur. *Concluſionis dubitatio.* *Reſolutio prima.*

Alia via propoſitio defendi poteſt; quòd ſpecies ſpecialiſſima vnam tantùm ſibi vendicet habitudinem; ac ſi diceretur, eâdem, ceù reliquę ſpecies, duas *Secunda.*

habi-

habitudines non habere: illæ quidem vt a ſuperioribus generibus continentur, ſpecies appellantur; vt autem de ſuppoſitis quibuſdam alijs,& adhuc differentibus ſpecie prædicantur, genera dicuntur. At ſpecialiſſima ſpecies, primam, qua ſpecies nuncupatur, habitudinem poſſidet, ſecundam verò minimè. quoniam illa, de quibus ipſa prędicatur non ſpecie & formaliter, ſed numero & materialiter ſolùm differunt. Atque hæc ipſa differentia, cùm accidentalis ſit, & non eſſentialis, quidditatiua ſeu ſpecifica, non tanti eſt, vt ob ipſam vox illa quæ taliter prędicatur, generis nomine & dignitate mereat inſigniri: ſed priori, qua ad ſuperiora referebatur nomenclatura duntaxat retenta, ſimplici decuit voce contentari. & ſic vnico tantùm reſpectu ſubalternis collata, cum eiſdem ſpeciei nomen retinuit; alio autem nihil conferente, quum accidentalitatem ſapiat.

Tertia. Exquiſitiùs verò Reuerendiſſimus Cardinalis Caietanus difficultatem iſtam tollit è medio, dum prępoſitam concluſionem exponit. Vult enim, quòd in ſubalternis ratio generis & ſpeciei, non adeò cõiũgitur, vt vna ex altera ortum habeat, quin potius altera velut extranea ab altera reperitur. ſubalternam enim, non ea ratione qua genus eſt, vocatur etiam ſpecies; quia tunc poſſet, & genus generaliſſimum ſpecies dici, cùm genus ſit: nec quoniam ſpecies eſt, vocatur adhuc genus; ſic enim ſpecialiſſima ſpecies, cùm ſit ſpecies, genus etiam nuncupabitur. Differentes quidem ſatis ſunt habitudines hę duæ, & ſi in vno eodemq; ſubalterno ambæ reperiantur: differentes enim ſunt ratione diuerſorum, & non mutuò ſeſe ponentium reſpectuum. Species autem ſpecialiſſima, & ſi duos quoq; diuerſos reſpectus habeat, ad genus nempe, & ad indiuidua, adeò tamen ſeſe illi compatiuntur, quòd alter ab altero originem ducit; nec aliqua inter eoſdem inuenitur extraneitas;

traneitas: quandoquidem ex hoc quòd aliquid cuipiam ſupponitur generi, neceſſariò duo reſpectus inſimul reſultant; & ad illud ſub quo ponitur, & ad indiuidua quibus pręponitur; quia impoſſibile eſt ſaltem (vti Reuerendiſſimus noſter ait) in eſſe obiectiuo aliquid ſub genere poni, atq; illud idem indiuiduis carere. Quùm igitur ex eadem ſpeciei ad genus relatione, indiuiduorum pullulet continentia, non quemadmodum in alijs ſubalternis in quibus (vt declaratum eſt) non neceſſariò; quia genera ſunt, ſpecies eſſe debent; vel quia ſpecies ſunt, oportet vt ſint genera, quùm ſit vtraque habitudo diuerſa; ſpecialiſsimam ſpeciem, vnam continere duntaxat habitudinem, & à Porphyrio determinatum eſt, & in noſtra propoſitione concluſum. Nanque, & ſi duas illas eſſe realiter affirmare debemus, negarique non poſſit; ita nihilominus eędem ſeſe gerunt, quòd vnius ratio, ſiue relatio, alterius relationem (vt demonſtratum eſt) ex neceſſitate poſtulat. atque hoc, illis in ſpeciebus quæ ſubalternę nominantur affirmari non poſſe, iam affatim expoſitum eſt.

CONCLVSIO III.

Indiuiduum de nullo prædicari affirmamus.

Parcat in hac parte Porphyrius.

ET ſi magnę eruditionis author Porphyrius, cuius introductorium hoc opus per ſummas, (vt fertur ac propoſitionum declarationes exponendum

dum ſuſcepimus;in capite de ſpecie,prętactæ concluſionis oppoſitum ſentiat,aſſerens, indiuiduum eſſe, quod de uno ſolo prædicatur: & in cap. de genere exponens eam particulam in generis diffinitione poſitam, Prædicatur de pluribus: hoc fuiſſe dictũ, inquit,ad indiuiduorum differentiam, quæ de vno ſolo prædicantur,cuiuſmodi eſt Socrates, & hic, & hoc.Maioris tamen authoritatis, Philoſophorum princeps Ariſtoteles, cui nos ſubſcribimus, oppoſitum ubiq. docet.Habet enim(ut hinc exordiamur) in Anteprædicamentis cap. 2. ita concludens quartum entium quæ ſunt,membrum; Eorum quę ſunt, quædam neq. in ſubiecto ſunt, neq. de ſubiecto aliquo dicuntur, ut quidam homo, & quidam equus. Præterea in prædicamento ſubſtantię, ab ipſo ſtatim principio aſſerit. Subſtantia,quæ propriè,principaliter,& maximè dicitur, eſt quæ neq de ſubiecto aliquo dicitur,neq. in ſubiecto aliquo eſt,ut quidam homo,quidam equus. Ibidem poſt medium habetur uulgata ſatis propoſitio illa, A prima ſubſtantia nulla eſt prædicatio; de nullo enim ſubiecto dicitur; & per primam ſubſtantiam, indiuiduum ipſum intellexiſſe, claret. Item primo Periherm. cap. 5. Vniuerſale (inquit) natum eſt prędicari de multis, ſingulare uerò non Vlteriùs, primo Priorum cap. 28. dicitur; Omnium,quæ ſunt, hæc quidem de nullo alio prædicantur uerè uniuerſaliter, ut Cleon,& Callias, & quod ſingulare eſt & ſenſibile; de his autem alia &c. Amplius primo Poſt. t. c. 4. habetur, Quæcunq. ſingularia contingunt eſſe non de ſubiecto aliquo dicuntur. Ibidem tex. 33. inter modos dicendi per ſe, illum reponendum eſſe, uult, qui non de ſubiecto alio quodam dicitur, ut ambulans,aut album, quæ indiuidua ſupponunt. Adhuc 7. Metaphy 7. dicit idem Ariſt. Subiectum eſt, de quo alia dicuntur, & illud ipſum non adhu

Opinio Ariſt.

alio &c. & per ſubiectum, ſubiectam ſubſtantiam intelligit Alexander, quæ eſt id quod ſingulare ſeu indiuiduum dicitur. Auerroes in ſua paraphraſi ſuper Porphy. prope finem capitis de ſpecie tanquam Ariſtotelicus; ſiquis alter, falſum eſſe Porphy. dictum concludit, quia indiuidua de nullo prædicantur. Verùm concedit, hoc de accidentium indiuiduis uerificari poſſe. Si autem de indiuiduis ſubſtantię loquitur quiſpiam, quòd aliquo pacto prædicari poſſit, falſum eſſe contendit. Vnde nota dignus cenſetur Porphyrius, qui de ſubſtantiæ indiuiduis, ut in exemplorum aſſiguatione, eius uerba indigitant, loquutus eſt.

Sed ne ulterius progrediamur, rei expoſcit affinitas, & ut aliquantiſper digredientes pedes hic non ſiſtamus. Auerr. idē in Anteprædicamētis in fine cap. 2. abſolutè concludit, quodcunq. indiuiduum, ſiue ſubſtantia, ſiue accidens ſit, de ſubiecto nō dici, Vnde uidetur ꝙ proprij dogmatis oblitus Auerroes, hoc citato loco neget ꝙ Porphyrium exponens admiſit, ubi cōceſsit, accidētis īdiuiduū, poſſe ꝺ aliquo prędicari. Poſſumus attamen huiuſmodi contradictionē ex eiuſdē Auerr monumētis ē medio tollere. Habet enim primo Poſt. comm. 4. poſt principium hęc verba: Singularia autem non prędicantur de aliqua re omnino; hoc eſt, prædicatione vniuerſali ſecundum naturalem conſuetudinem. Ex quibus colligi licet, quòd ipſa ſingularia prędicatione nōn vniuerſali, & prædicatione quę ſecundùm naturalem conſuetudinem non ſit, poſſunt àliquo modo prædicari; & ſic huiuſmodi prędicationem intellexit, in cap. de ſpecie Auer. quando indiuidua accidentium prędicari poſſe expoſuit. Quando autem in Anteprædicamentis nullum indiuiduum prędicari aſſeruit, vniuerſalem prædicationem, ac ſecundum naturalem conſuetudinem factam, intellexit.

Auerr. contradictio.

Solutio.

Vo-

Notãdũ. Volunt recentiores quidam ex Auerr. tum primo Poſt. 148. tum in Epit. Logicalibus cap. de demonſtratione; quòd per prędicationem vniuerſalem, intelligatur prędicatio eſſentialis; & per naturalem, intelligatur illa, in qua vel ſuperius de inferiori, vel cauſa de cauſato, vel accidens de ſubiecto prędicatur. Vocitant autem huiuſmodi prędicationes naturales, quoniam naturam imitantur: nanq; illud quod extra animam & in rei natura aptum natum eſt in aliquo eſſe, intentionaliter & in anima, aptum natum eſt prædicari de illo aliquo; & per conſequens naturaliter; quod autem extra animam & realiter, in aliquo eſſe non poteſt, nec rationis ope, intellectuſque diſcurſu, de illo prędicari naturaliter quibit. Clareſcit ex his, quòd in illa triplici prędicatione naturalis dictę prędicationis ſeruatur modus.

Dubitatio. Sed obiici adhuc poteſt. Cùm inter prędicationes naturales ea accidentis de ſubſtantia enumeretur; naturalis igitur erit illa prędicatio qua accidentis indiuiduum de ſubiecto dicitur. *Solutio.* Soluitur hęc inſtantia concorditer ab Auerroiſtis, quòd ad hoc quòd prędicatio verè naturalis dicatur, non ſolùm ea naturalis expoſita requiritur, ſed etiam vniuerſalitas ſiue eſſentialitas. Quanquam igitur accidentis indiuiduum naturali prędicatione de ſubiecto enuncietur; non tamen de eo naturali & eſſentiali prędicatione dicetur. Primam ergo prędicationem in capite de ſpecie potuit intelligere Auer. ſecundam uerò minimè; atque hanc in Anteprædicamentis intelligens, ab omni indiuiduo tam ſubſtantiæ quàm accidentis prędicationem amouit. vt ex eodem Auerr. elicitur primo Poſt. t. c. 33.

Porphy. defenſio à Caieta no. Ad propoſitum noſtrum reuertentes dicamus, ſtudioſos non deeſſe, qui Porphyrium ab errore à Caieta uindicantes, illum cum Ariſt. conciliare conentur.

Inter hos Reuerendiſſimum Thomam de Vio Caietanum reperimus, qui de duplici prędicatione diſtinguens, quandam naturalem eſſe aſſerit, quandam verò artificialem. Prædicatio naturalis (inquit) eſt, quæ artis finis non eſt directè proficua; uerùm ex hoc non ſequitur, quòd ex natura rei ſignificatæ, veriſſima non ſit; quinimo naturam imitatur ad vnum determinatam. Artificialis autem prædicatio eſt, quæ ab arte finaliter, non effectiuè prouenit; cùm omnis prędicatio artis opus ſit; & artificialis finaliter dicatur, quia directè fini artis deſeruit; quì, in Logica eſt inſtrumenta comparare, quibus noteſcant ignota. Meritò ergo artificialis nuncupabitur prædicatio illa, qua ignotum aliquid notum fiet; hocque efficiet illa prędicatio quę diſiuncta coniungit, vt cùm dicitur hominem eſse animal. Naturalis prędicatio illa eſt, in qua nihil quod ignotum ſit notificatur; & hæc fit, cùm idem de ſeipſo prędicatur, qua nulla verior. Cùm igitur Ariſt dixit indiuiduum non prędicari, artificialem intellexit prædicationem. Quodnam enim diſtinctum adunabit indiuidualis prędicatio? Porphy. autem naturalem indiuiduis admiſit prędicationem; nam nil impedit quin de ſeipſo enunciari queat. *Logices finis.*

Contra iſtam ſolutionem contradictionis, inuehitur acutiſſimus Ioannes Nicolaus Rogerius Salernitanus, cui vel amiciſſimo quantum debeam, quiſque intelliget, quando noſcet me ab eccellentiſſimo doctore Antonello eiuſdem patre Salernitani Collegij priore doctoratus inſignia feſto Angelici doctoris diui THOMAE AQVINATIS mei patroni ſub anno 1557. ſuſcepiſse. Probat doctor iſte, quæſito de ſingularium diffinitione edito, delirasſe Cardinalem circa hanc diſtinctionem, per Auerr. qui primo Priorum, & paſſim alibi, prædicationem qua de inferiore dicitur ſuperius natu- *Contra Caietanum.* *Antonellus Rogerius.*

ralem

ne naturali,vt artificiali opponitur, rationes non concludunt; quia,vt dicit Reuerendiſſimus,naturalis prædicatio eſt illa, in qua nil nobis innoteſcit, ſed vnum tantùm de vno,ideſt,idem de ſeipſo prædicatur: quemadmodum vnius natura ad vnum determinatur. Et hac conſideratione, prædicatio ſuperioris de inferiori naturalis dici non debet; quia illa efficit, vt quę diuerſa ſunt adunata commonſtrentur; & quæ ignota fuerant, innoteſcant. Atq; huic peragendo muneri, Intellectus ratiocinatio, artisq́; non contemnendum opus expoſcitur; vnde poſtmodum prædicatio artificialis, quaſi artis fini deſeruiens appellatur: verùm his ſic conceſsis, talem prędicationem,reſpectu,quo rei natura exigit, vt ſuperius de inferiori enuncietur, naturalem adhuc nuncupari poſſe,Reuerendiſſimus ad hunc ſenſum non negaret,cùm iam conſtet, innaturalem eã non eſſe:cuiuſmodi ea eſt, in qua de ſuperiori inferius prædicatur:non tamen aufugiet, quòd prædicatio artificialis non ſit. Qua propter (vt noſtra fert opinio) ab his inſtantijs Reuerendiſſimum tueri facillimum eſt; pariter & ab alijs, quę in eundem à recentioribus fiunt:ijs pręſertim qui Balduino(neſcio quo iure)penitus addicti,graues authores impudenter reprehendere non ſunt veriti: at ſi arrepto aliquantiſper amori parcerent,illi non adeò tribuerent,vt antiquiorum monumenta plurimorum,quì vni gloriã cõpararent, funditus euertere ſtuderẽt. *Quorundam incuria.*

Affert ingenioſus Rogerius ex Alberto deſumptam pro Porphy. defenſione, aliam ad contradictionem diſſoluendã, reſponſionem, in qua de prædicatione diſtinguitur;quòd ſcilicet ſit quędã ordinaria,quędam inordinaria: non ſecus ac alij quamplures, qui in hac diſſenſione imaginati ſunt aliam prędicationem eſſe directam, aliam indirectam, quemadmodum alij alias prædicationum differen- *Alia Porphy. defenſio.*

D tias:

tias:aſſerentes in gratiam Porphy. quòd ipſe admittens indiuidua poſſe prædicari, intellexit prædicationem inordinariam, indirectam &c. Ariſt. autem hoc negans, predicationem ordinariam directam &c. intendebat, & ita concordes eos aſſerunt. Sed ne nimium circa innumeras aliorum vel confutandas vel confirmandas opiniones vagemur, cùm prę ſertim illis hucuſque animus noſter acquieſcere non valuit; concludimus Porphyrium nullo pacto in hac controuerſia defendi poſſe. & quòd ita intrepide affirmemus cogit id quòd rei veritatem intuentes contemplamur.

Confutatio.

Pro quo ſciendum eſt, quòd quæcunque prædicatio, ꝓpoſitione ſiue enunciatione perficitur, nanq; in quauis prędicatione ſubiectum reperitur & prædicatum: eademque ſubſtantiuo verbo, ſi affirmatiua erit prędicatio, copulata: ſi verò negatiua, diſiuncta. Cùm igitur de ratione quidditatiua & eſſentiali propoſitionis, ſeu enuntiationis ſit, quòd in illa prædicetur aliquid de aliquo, vel affirmatiue, uel negatiuè: quod ita eſſe, ipſa rei natura arguit. & vltra Ariſt. primo Periher. cap. 4. & primo Priorum cap. primo docet: imaginari non poterit (vt ego quidem reor) ſanæ mentis homo, prędicationem poſſe fieri, quæ oratio enunciatiua (vt præfati ſumus) eſt, in qua aliquid de aliquo non prædicetur. Modò ſi doctiſſimi omnes iſti viri Porphyrium cum Ariſtot. diuerſimodè conciliare ſtudentes, in hoc conueniunt, quòd indiuiduum poſſit prædicari, ſaltem de ſeipſo; illa prædicatio vel indirecta, vel inordinaria, vel naturalis nuncupetur: oportet etiam vt rationem prędicationis ſub ratione, qua prędicatio eſt, ſubeat: nam ex hoc quòd ſit indirecta, vel quouis alia voce nominata, formæ prædicationis derogari non poteſt; & ſi illius modo licere poſſe videatur. Quoniam ergo in

go in ea prædicatione,qua idem de ſeipſo enuncia-
tur,ratio prædicationis quidditatiua non ſeruatur,
quia in tali non prędicatur aliquid de aliquo,(cùm
aliquod & aliquod diuerſitatem importent, quam
idem cum ſeipſo habere penitus impoſſibile cen-
ſemus.)ſequitur,quòd nullo pacto prædicationis no
mine donari meretur. At ſi ceruicoſus obijciat; *Obiectio.*
Quid ergo hæc prędicatio erit, Sortes eſt Sortes? *Reſpōſ.*
Dicamus negari non poſſe eam orationem eſſe; at
propoſitionem ſeu enunciationem de qua Logici
& Philoſophi tractant, uocari prorſus abnuimus.
Quòd ſi inſtabitur, Sub qua orationis ſpecie illa *Obiectio.*
prędicatio exploſa collocabitur? Reſpondebimus
cum Auerr. quarto Metaph. tertio, ſub nugatoria, *Reſpōſ.*
ſub qua etiam idem Auerr. reponit in fine com. 8.
lib.10.Metaphy.

Valeat hinc igitur quidam neotericus qui ſuper *Vanæ*
hac materia adductis multorum opinionibus illiſq; *quorun-*
tandem confutatis, propriam tanq̃ nouum quod- *dā ponde*
dam afferens poſitionem, Porphy. cum Ariſt. con- *rationes.*
cordare cupiens,ait.Ariſt.dixiſſe indiuiduum de nul
lo prædicari; ac ſi dixiſſet, de nullo alio. Porphy.
autem indiuiduum prędicari de uno; ideſt de ſeip-
ſo;atque hęc dicta (inquit) nullam continent repu-
gnantiam; quoniam ex hoc quòd de nullo dicatur
indiuiduum, prohiberi non poteſt quin de ſeipſo
prædicari queat. Nullam dicimus concordiam
hāc eſſe;quia(ut expoſitum eſt)prędicatio dicit ali-
quid ineſſe alicui; ideſt diuerſum diuerſo; at cum in
prędicatione indiuidui, idem eidem ineſſe tracte-
tur, non poteſt prędicatio,qua de potiſſimum Pe
ripatetici agunt,appellari. Sciendum quoque, præ
poſitam huius iunioris expoſitionem propriam(ut
ipſe ſibi aſcribit)non fuiſſe; cùm eadem a Baldui-
no ſuper primo poſt.4.referatur, & medijs aliquot
refellatur.

Porphy. proprias renuit defenſiones. Nec ſilentio prætereundũ eſt,ꝙ hi omnes qui diſtinctionibus diuerſis Porphyrium ſaluare conãtur, parũ admodũ ſeriei literę ipſius Porphy. attẽdant. Habet ,n. Porphy. hęc verba : Dicitur generaliſſimũ de oĩbus ſub ſe poſitis generibus & ſpeciebus & indiuiduis. ſolùm aũt ſpecies de oĩbus ĩdiuiduis. indiuiduum autem de vno ſolo particulari. Ex hoc quidem textu videtur, quòd eadem prędicatione indiuiduum de uno ſolo prędicari dixerit , qua generaliſſimum de generibus ; qua genera de ſpecialiſſimis, & qua tandem ſpecialiſſimum de indiuiduis ; & non diuerſa;quia ſimul iuncta vniuerſa eſt hęc ſermonis ſeries.aliter(quod eſt à Peripatetico alienum)in tam paucis verbis ęquiuocaſſet. Fruſtra igitur laborant omnes,de duplici ſeu multiplici prædicatione diſtinguentes , & aliam generibus & ſpeciebus,aliam verò & diuerſam indiuiduis;cum illa omnia eodem prędicationis modo prædicari autumauerit Porphy. hanc ſolam inter haſce prædicationes diuerſitatem aſſignans,quòd ſcilicet illa omnia de pluribus,hoc autem de vno ſolo prędicatur.Ob hoc non poſſumus,non vehementer admirari Porphy. doctrinam,qui non longè ſatis à citatis verbis,volens docere quænam ſint illa quę prędicãtur in vniuerſum;breuibus multa complexus,hãc propoſuit doctam methodum : Oportet æqua de ęquis,aut maiora de minoribus prędicari. & poſtmodum exemplis ſuam alioquin Peripateticam ſententiam volens comprobare , oſtendenſq́; quomodo generaliſſima,quomodo genera , ſpecies,& ſpecialiſſima prędicantur,in hanc prorupit abſurditatem,vt ex eorum numero quę prędicantur, eſſe adhuc indiuidua ipſa aſſeueraret,talia,oblitus , nec vt ęqua de ęquis , nec vt maiora de minoribus enunciari poſſe. Iſtis rationibus mouemur , vt in hac propoſita concluſione Porphy. deſeramus. *Porphy. incautus.* Expo-

ſitores

ſitores penè omnes contra Porphy. infinitas eri-gunt rationes, quibus indiuiduum prædicari non poſſe concludunt: inter quos præcipuum inuenimus Hieronymum Balduinum dilucidatum tum per Reuerendum Gometium, tum per Ioannem Thomam Zancham à quibus nos bonam logices partem in Parthenopęo gymnaſio, doctis quidem viris, didicimus ſuper primo Poſt. quarto. Sed quoniã, vt arbitramur, omnes illæ rationes & quę poſſent infinitæ formari, varijs prędicationum diſtinctionibus, pro ſalute Porphy. quotquot ſunt, omnes poſſunt dilui, cùm dicitur videlicet, prædicationem aliam eſſe naturalem, aliam artificialem; rurſus naturalem, & innaturalem; directam, & indirectam; per ſe, & per accidens; communiter, & propriè ſumptam; ordinariam, & inordinariam; conſuetam, & inconſuetam, & cętera multa. Ideo rationes illas non attulimus, cùm videri & legi apud alios expoſitores poſſint: eas duntaxat marte noſtro ſcripſimus, quæ indiuiduum nullo modo prædicari poſſe, nec prædicationis nomine dignari concludunt; cùm ratio prędicandi illi nullo pacto congruat. Quòd ſi cum alijs dicere vellemus, de ſeipſo poſſe indiuiduum prædicari; illud ſatis impropriè & æquiuocè fieri vel dici affirmabimus; quippe cùm nihil nobis ex tali prædicatione innoteſcat. At ſi Boetius dixit, nullam ea eſſe veriorem prædicationem, in qua idem de ſeipſo dicitur; reſpondebimus cum Zimara Theoremate 34. quòd aliud eſt loqui de veritate propoſitionis, aliud de naturalitate. Si enim ab eo quòd res eſt, vel non eſt, orationem veram vel falſam Ariſtot. dici præcipit; ſequitur, quòd in ea prædicatione, in qua idem de ſeipſo dicitur, nulla falſitas reperiatur, immo ipſa ad nauſeã concluſa veritas. Hanc ergo veritatem, non proprietatem in tali prædicatione admiſit Boetius: quam prædicationem eſſe

Qualia ſint quæ alij in Porphy. afferunt.

Qualia prædicatio de ſe ipſo.

in fine abhominationis dixit Auerr. in libro Priorum.

Difficultas. Sed omittere nolumus priuſquam materiam iſtã fine claudamus,id quod circa hoc negocium Angelicus doctor Sanctus THOMAS inter Ariſtot. expoſitores facile princeps,ſcriptum reliquit. Exponens igitur S. Doctor textum 7. lib. 7. Metaphy. vbi Ariſt. dixit,ſubiectum eſſe,de quo alia dicuntur, & illud ipſum non de alio:inquit; quòd ſubiectum non prædicatur de alio per ſe, bene poteſt per accidens. & poſt modum ſubdit, quòd ſubiectum prædicatur de ſeipſo per ſe:vt cùm dicitur,Socrates eſt Socrates. Ex quibus verbis ad mentem S. Doct. contra concluſionem noſtram ſatis clare colligitur, indiuiduum non modò poſſe prędicari, ſed per ſe prędicari: cuius quidem authoritas apud nos tanti valet,quanti ea Ariſt. Hæc S. Doct. verba, tantę fuerunt moleſtiæ Marco Antonio Zimarę, vt inde contra S. Doct. non ſit veritus proprium exarare theorema. Arguit igitur contra illum Theor. 34. ex Auerr. 7. Metaphy. 59. fundamentum excerpens, quòd prædicationum quædam eſt naturalis, quædam non naturalis. Naturalis prædicatio illa eſt, in qua ſubijcitur id,quod naturaliter debet ſubijci, & prædicatur quod debet prędicari. Prædicatio verò non naturalis oppoſito ſe habet modo (quid ſit duplex iſthæc prædicatio, iam nos ſuperiùs ſatis explicauimus.) Cùm ergo illa prędicatio in qua idem de ſe ipſo prædicatur,naturalis non ſit, vt longiſſimis verbis ibi declarat Zimara; ſequitur,quòd nec erit per ſe,contra S. Doct. Sed tantum uirum, ne ab huiuſmodi calumnia indefenſum relinquamus, ſciendum eſt,Zimaram non habuiſſe mentem Sancti expoſitoris. Nam quando ipſe Sanctus dixit,idem de ſeipſo prædicari per ſe;ex occaſione illius termini, *Per ſe*, non intellexit, quòd talis prædicatio

Expoſitor ſanctus.

Zimara contras S. Doct.

Defenſio S. Doct.

dicatio

dicatio ſit in primo, vel ſecundo modo dicendi per ſe habitis ab Ariſt. primo Poſt. a tex. 30. &c. ſed per hoc, Per ſe, intellexit id quod, ad Per aliud, ſeu per accidens contrafertur. Socrates enim eſt Socrates per ſe: ideſt, non per aliud medium, ſeu per accidens; ſed ratione ſui, & ſecundùm ſe. Et ſic videtur Zimaram non habuiſſe mentem S. Doct. quod non etiam verba oſtenditur · quia S. Tho. loquitur de prædicatione per ſe; & Zimara arguit de naturali, quę non eſt eadem, nec conuertitur, cum per ſe. Omnis nanq; prędicatio naturalis eſt per ſe; at non omnis per ſe naturalis eſt: quia dictio illa, Per ſe, plura ſignificat: etſi ſui ambitu naturalem contineat prædicationem.

Sed ne videatur hoc ſic voluntariè recitatum, conſideret, quæſo, diligentius bonus Zimara Ariſt. quinto Metaphy. t. c. 23. vnde dicti S. Doct. colligitur ſeries; qui & ſi calumniam ſubibit, illam nec magnus Magiſter aufugiet. Dicit enim ibi Ariſt. quòd, licèt hominis multæ ſint cauſæ, tamen homo eſt homo ſecundùm ſe. Ecce qualiter ſimul & ſemel habetur prędicatio eiuſdem de ſeipſo, & quòd illa ſit per ſe. & idem eſt cum Ariſt. dicere, Homo eſt homo ſecundùm ſe; & cum S. Doct. in loco citato 7. Metaphy. Socrates eſt Socrates per ſe. quandoquidem ly, Per ſe, in neutro horum dictorum ſumitur pro naturali, ſeu pro primo, aut ſecundo modo dicendi per ſe, ſed tantùm pro ſecundùm ſe, ac ſi diceretur, Non per aliud medium, Non per aliam cauſam, Non per accidens; ſed ratione ſui. Et ſic malè Zimara contra S. Tho. qui tandem ab ipſa veritate coactus in prędicti theorematis recognitione vltima, adduxit contra ſe Ariſt. in cap. vltimo primi Periherm. dicentem; quòd iſta prępoſitio in qua dicitur, Bonum eſt bonum, eſt vera per ſe: ſed illa, Bonum non eſt malum; eſt uera per accidens. Ex quibus Notãdũ.

dixiſſet, Ex rei natura: quod non ſemel Boetius repetit. Patet igitur S. Doct. ad Ariſt. aures loquutum fuiſse, & contra eum non rationabiliter digreſsum fuiſse Zimaram.

His, ſic declaratis, non uerentur, multos fore aſſerentes, ꝙ dum S. Doct. tueri nitimur propriã di- *Obiectio.* ruimus concluſioné. Si enim cum illo prædicationem, in qua idem de ſeipſo prædicatur, per ſe eſſe affirmamus; eandem eſſe nullam, nec poſse tot alio rum de multiplici predicatione diſtinctionibus ſaluari, inepté à nobis in principio aſsertum eſt. Verùm contra nos hoc non facit; quanquam enim cũ *Reſpõſ.* S. Doct. eam prædicationem eſſe per ſe concedimus; per ly, Per ſe, non intelligimus prędicationem, quę in aliquo dicendi per ſe modo, reponi queat; ſed quòd ſit ſecundùm ſe, ratione ſui, non alio mediante: vt ſatis ſuperiùs enucleauimus. Nec remouetur ex hoc, quin ipſa prædicatio ſit vana, nugatoria, & ſatis impropria; nec vnum alteri dicto derogat.

Attamen maiorem difficultatem pariet, ſi quiſpiã *Dubitatio.* Ariſt. dictum in fine cap. 7. primi Topic. in medium afferat: quod tale eſt: Vnumquodque enim prędicamentorum, ſiue idem de eodem dicatur, ſiue genus de hoc, quid eſt ſignificat. Vnde clariſſimè elucet Ariſt. prędicationem, in qua idem de ſeipſo dicitur, in numerum prędicationum admiſiſſe, contra dicta noſtra. Sed reſpondemus, quòd dato & non *Solutio.* conceſso, quòd Ariſt. hanc qua de loquimur prędicationem intellexiſset (ut iam non intellexit quẽadmodum dicemus) admitteretur tantùm, prædicationem illa eſse ex numero prædicationum: at non ſequetur ex hoc, illam non eſse impropriè dictam, & quæ uerę prædicationis (ut eſt enunciatio ſeu propoſitio) ratione non careat, vt ſuperiùs intulimus &c. Sed ad germanum Ariſtot. ſenſum

acce-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

accedentes, dicimus;ibidem Ariſt. non intellexiſſe prędicationem indiuidui de ſeipſo, ſed generum & ſpecierum de indiuiduis,& ſuperiorum de inferioribus,vt ex verborum ſerie clarè colligitur;nam (ut me breuibus expediam)uult ibi demonſtrare,quòd quando aliquod in proprio prædicamento prædicatur, ſiue illud ſit ſubſtantia, ſiue quantitas, ſiue qualitas; ſemper in quid prędicatur; ac ſi diceret, quando idẽ, ideſt vnũ prædicatũ,vt ſuperius,prædicatur;de ſeipſo,ideſt de aliquo in propria ſui ipſius prędicamenti coordinatione poſito, prædicatur in quid; & hoc intelligitur de quouis genere uel ſpecie reſpectu cuiuſuis indiuidui; dummodò utrumq; in uno & eodem prędicamento collocetur. Nam Ariſt. ait,Siue idem de eodem, ſiue genus de hoc; ideſt vel ſpecies de indiuiduo,uel genus de ſpecie & indiuiduo prædicetur, dummodò vtraque propoſitionis extremitas in eodem prędicamento reponatur,ſemper in quid prędicatur. Et hoc modo ea Ariſt. verba intelligenda veniunt, vt ibidem Sueſſanus exponit, etiam Balduinus ſuper primo Poſt.4. Ariſt. ergo ſic expoſitus noſtræ propoſitioni neutiquam aduerſatur.& ſatis per hæc(noſtro quidem iudicio,) indiuiduum de nullo poſse prædicatri comprobatum eſt,ad concluſionis veritatem propalandam. Sed, vt iuuenibus qui in hac uerſantur doctrina, & qui ſubſtinendarum concluſionum exercitio ſtudent utilimo, aliquantiſper ſatisfaciamus;dogmata ſubiungemus nonnulla.Et primo:

Noua cõcluſio.

INDIVIDVVM non modò de uno,ſed de pluribus prędicatur. Per indiuiduum hic illud ſubſtantiæ non intelligimus, bene illud accidentis, & ſubſtentatur uirtute eorum uerborum, quæ ſuperiùs ſoluentes contradictionem in dictis Auerr. poſt principium concluſionis principalis habuimus;quòd ſcilicet indiuiduum accidentis de ſubiecto,

ĉto, naturali prædicatione prædicari poteſt; ea ratione qua de ſibi ſubiecta materia accidens prędicatur; verùm nó prædicatione vniuerſali, ſeu quidditatiua. Defenditur alia via, & in idem redit, quòd quędam prędicatio eſt ſecundùm nomen duntaxat; quædam ſecundùm nomen, & diffinitionem. Primo modo tenetur hęc concluſio; quia accidens de ſubſtantia ſecundùm nomen prædicatur, non ſecundùm diffinitionem, quia tunc eſſentialiter; quod accidenti repugnat.

Poteſt ſecundò hoc ſubſtineri; NVLLVM indiuiduum de aliquo prædicari poteſt. De indiuiduo ſubſtantiæ veriſſima propoſitio, (ut uiſum eſt.) ſed quoniam de eo accidentis difficultatem patitur, ideo ſic interpretanda veniat; Indiuiduum non prædicatur de aliquo ſubiecto, ideſt, de aliquo inferiori ſibi in recta linea prædicamentali ſuppoſito; quoniam in coordinatione ſingulorum Prædicamentorum, quando a generaliſſimis deſcendimus ad indiuidua (in quo deſcenſu admittuntur prædicationes, cùm vnumquodque ſuum inferius contineat) quieſcentes, nó ulteriùs ad alia progredimur, de quibus tanquam magis infimis indiuiduum ipſum prędicari liceat; quod in omnibus prædicamentis verificatur. Prædicatur autem indiuiduum de ſubiecto, pro ut per ſubiectum intelligimus fundamentum, cui ipſum accidentis indiuiduum innititur; non quòd de inferiore enuntietur, eo pacto quo de ſuppoſitis genera & ſpecies dicuntur; nullam enim dicit reſpectu ſubſtantię, indiuiduum ipſum accidentis ſuperioritatem, qua de ea prædicetur; ſed duntaxat inhęſionem. Quo fit, vt ipſum accidentis indiuiduum, non prędicatur, niſi de ijs quæ in extraneo Prędicamento, nempe ſubſtantiæ, reponuntur; & de illis quidem, non ut de inferioribus tanquam ſuperius, ſed ut de fundamentis, quibus to-

Alia concluſio.

tum

nis definita & determinata ac cuicunque eiuſdem claſſis competens;&,vt uno expediamur verbo, de ſpecie tractantibus dicere licet, quòd participatione ſpeciei plures homines, immo omnes homines ſunt vnus homo. At pariter aſſerere non poſſumus, quòd plures homines ſint aliquis homo, quia in homine perfectio, & ſpeciei complementum reperitur, quod non eſt in aliquo homine, qui totam hominis naturam & continentiam euacuare non poteſt:& ſic patet de pluribus prædicari poſſe indiuiduum uagum, etſi non ſicuti ſpecies; cùm hęc quoddam vniuerſale magis, ab indiuiduo uago non euacuatum importet.

Poſſet adhuc & ſubſtineri, VAGVM indiuiduum de pluribus non prædicari, ſi ipſum contemplemur non vt naturam comprehendit cõmunem, ſed vt ad hoc vel ad illud referatur, & (vt ſic loquar) aliquibus limitationibus particularizetur, & vt ſic de vno tantùm vel certè non de multis ratione illius contrahentis ſigni prædicabitur. *Alia conclusio.*

Sermonis affinitate, aliam concluſionem ſubdentes poſſumus ſcholarium curioſitati ſatisfacere: & hoc erit:

INDIVIDVVM prędicatur de pluribus ſpecie differentibus. Et hìc intelligimus generis indiuiduum. nam ſub qua ratione indiuiduum ſpeciei vagum appellatum, de pluribus prędicari poſſe aſſerebamus indiuiduis; eadem genericum indiduum de pluribus ſpeciebus eſſe prędicabile concludemus: licet enim dicere, hominem eſſe aliquod animal; bouem eſſe aliquod animal, muſcam pariter, piſcem &c. veritate non carent huiuſmodi propoſitiones prædicatiuæ, pro quanto in tali indiuiduo natura illa communis includitur, quæ ex ipſo genere, cuius eſt indiuiduum, pullulans oritur; non *Alia conclusio.*

quia indiuiduum eſt,& ad vnius duntaxat naturam particularizatum, ſeu articulo ſignatum, indicandam. Poſſet adhuc quiſpiam, cui condiſcipulis imponere placeret, eandem propoſitionem alio ſubſtentare medio, nomine indiuidui ęquiuocè ſumpto, vt ſcilicet per indiuiduum, hoc ipſum indiuidui nomen intelligamus; qua acceptione de pluribus differentibus ſpecie prædicabitur: dicaturque, Sortes eſt indiuiduum, Brunellus eſt indiuiduum, hic canis, hęc capra &c & hęc de tertia propoſitione dicta ſatis.

Pro tyrũculis.

CONCLVSIO IIII.

Ex quatuor differentiarum, animal diuidentium combinationibus, Rationalis ſcilicet, Irrationalis, Mortalis, & Immortalis, quatuor ſpecies nec conſtituit Porphy. nec ad mentem Ariſt. conſtitui poſſe: aduerſus Boetium.

POrphyrius in capite de differentia, poſt aſſignatas animal conſtituentes differentias, eiuſdem animalis quatuor diuiſiuas eſſe differentias aſſeruit; rationalitatẽ nimirũ, irrationalitatẽ, mortalitatẽ, & ĩmortalitatẽ, quę quidẽ ſic inter ſe habetur, ꝙ rationalitas & mortalitas ſpeciem conſtituunt animalis humanam; rationalitas & immortalitas diuinam; irratio-

irratiunalitas & mortalitas brutalem . de quarta vero combinatione, quæ ab irrationalitate & immortalitate reſultaret,nullam habuit mentionem Porphy. ac ſi differentias has,nullam ad aures Ariſt. conſtituere poſſe ſpeciem,inſinuaret: Cùm animal aliquod quod irrationale pariter & immortale ſit, non facile quis inueniet. licet ex Ammonio colliga tur,dari apud nonnullos dęmonum quorundam ſpecieni,immortalium eorundemq; irrationalium,inferiores terrę partes incolentium, inferiorem ordinem ſortitorum,ac meritas animarum pœnas ſumentium. Sed hoc ab eodem Ammonio penitus nô recipitur, nec recipi licet verè· tum quia, ut idem ait,id quod æternum eſt(animal ſupple) idem & rationis particeps ſit oportet;tum quia vt (vel cęco) clariſſimum eſſe debet, aliquod eſſe animal,ob ſuę ipſius animę defectum,crimenq́;vllum pœnas luens. Quòd poſtmodum irrationale ſit, rationi prorſus conſentaneum non eſt. Qua nanque(quęſo) occaſione,ob animę lapſum pati poterit,ſi rationis illa, diſcurſusq́; fuerit expers? Præterea,hoc in uia Ariſt. ſubſtinere eſt omni modo impoſſibile; in doctrina autem Platonis, neſcio qua ratione tueri quiſpiam poſſit,cùm ille triplex rationale animal eſſe dixerit, Deum, Dęmonem, Hominem. Quomodo igitur irrationale animal Platoni erit Dæmon? immo ſi vulgarem dęmonum deſcriptionem ab omnibus (qui tamen ſacroſanctam fide cognitam veritatem ignorauerint)receptam diſcutiemus,falſiſſimum tale dogma oſtendemus.Ita enim habet Apuleius:Dęmones ſunt genere animalia,anima paſſiua, mente rationalia,corpore aerea,temporeque ęterna.Quòd ſi fortè obijciet quiſpiam, non omnes dęmones eſſe irrationales,ſicuti nec omnes rationales;vnde apud nonnullos Platonicos & boni, & mali dęmones cùm admittantur,erunt illi rationales, rationis expertes

Quorundam de Dæmonibus poſitio.

Confutatio.

Quid de demonibus Plat.

Obiectio.

pertes

& immortale ; & brutorum per irrationale & mor tale animal & triplex iſthęc natura ſub ipſo anima li tanquã genere communi, vnde differentias particularium propriarumq́ue ſpecierum conſtitutiuas, nacta eſt, neceſſariò collocatur ; licèt de Dijs aliter ſentiat Ariſt. Quartum autem membrum ex eiſdem differentijs complicatum, irrationale nimirum & immortale, non ſecus ac alia tria ſub animali genere quidem reponẽdum, intactum omiſit Porphy. illud non admittendum, innuere fortaſſe volens. Nunc, quando corpus cœleſte tale eſſe quòd illas includat differentias Boetius docet; & ſi falſitatẽ prorſus dictum nõ includat, propoſito nihilominus quæſito non alludit: quandoquidem corpus cœleſte ſub animali non reponitur. nanq; vt ex ipſomet Boetio in eadem expoſitione colligitur (vt interim rationes innumeras, & infinitas authoritates quibus Peripatetici ſcatẽt codices omnes derelinquamus) corpus cœleſte eſt inanimatum; modò ſi inanimatum eſt, quo iure admittit, quòd ſub animali genere collocatum, illius diuiſiuas differentias, irrationalitatem nanque & immortalitatem ſortiatur ? cùm non ſecus idem poſſet de lapide, vel (vt de æternis re vera loquamur) de elementis, quæ irrationalia immortaliaq; ſunt affirmari. niſi quis dixerit, hæc Boetium ſcripſiſſe, vt fœcundam redderet Porphy. quem interpretabatur, partitionem. aliter tamen ſenſiſſe. Noſcant tamen qui Boetium hac in enarratione à calumnia, ne dicam ab iniuria, vindicare ſtudent; quòd aliud eſt irrationale, aliud non rationale. Vnde licèt corpora cœleſtia non ſint rationalia, irrationalia tamen dici nequeunt; nam primo modo rationalitatis negatio ſignificatur ; ſecundo autem priuatio; illa animalitatem excludit, hæc abſq; animalitate intelligi non poteſt. Et ſic cùm dicimus corpora cœleſtia non eſſe rationalia, uerum fa *Boetij lapſus.*

temur;quia ob hoc ſub animali locanda neutiquam ueniunt;cùm autem eadem irrationalia eſſe aſſerimus, falſum dicimus; quia huiuſcemodi ſermonis modus priuationem,quæ poteſtatem arguit ad rationis formam ſuſcipiendam importat; at talis aptitudo à cœleſtibus corporibus, quippe quę inanimata(ut diximus)ſunt,remouetur omnino.

Porphy. proprÿs prĩcipÿs incõſtãs. Pari profectò ratione in Porphyrium inuehi poſſumus;qui in eadem textus ſerie,rationales immortalesq́ue Deos eſſe deffiniuit; quod ſi verum eſſet, Deos corporeos eſſe ſequeretur. Nam ſi Dij rationales ſunt,ergo & animalia, ergo animata adhuc corpora,quoniam ſub animato corpore animal in Porphyriana arbore collocatur,& per regulam eiuſdem Porphy. in cap. de Specie, De quibus ſpecies prædicatur,de ijs neceſſariò & ſpeciei genus predicabitur,& generis genus vſque ad generaliſſimum. Vnde ſi per Porphyrium, de Deo prædicatur animal,per eiuſdem regulam de Deo prędicabitur corpus:quod quantum cuicunque doctrinæ, non modò Peripateticę ſit diſſonum,clarius eſt, quàm vt à nobus explicari queat.

Muſæ poſitio. Sed ſi rem ſubtiliùs inquirentes, perſcrutari uellemus cauſam, rationemq; veram; qua immortale & irrationale ſpeciem non conſtituit, dicemus cum Braſauolo(vt à fido Pacca amico noſtro refertur) quòd illę quatuor differentię,ex quibus quatuor cõſtitutę ſpecies quęruntur, non omnes animal diuidunt,vnde quatuor ſub animali ſpecies erigantur: ſed duę tantùm ſunt animalis diuiſiuę, rationalitas ſcilicet,& irrationalitas: Duę autem alię differentię, mortalitas nimirum,& immortalitas, non animal diuidunt; ſed ſuppoſitum animali genus quoddam ſubalternum aliud, quod eſt animal rationale; vt in Porphyriana arbore conſpicuum fit. Modò ex immortalitate,quæ eſt differentia diuiſiua

rationalis animalis,& ex irrationalitate quæ differentia eſt ſuperioris generis animalis; nanque ſpecies aliqua conſtitui non doteſt;quoniam non vnius & eiuſdem generis diuiſiuæ ſunt. Et fortaſſis huic tollendę difficultati,iſthæc imbecillo marti noſtro occurrebat contemplatio,longè prius quàm Braſauoli expoſitionem legiſſemus: ſed noluimus tantum uirum propria laude defraudare.

Illud omittendum non putamus, Porphyrium quatuor omnes illas differentias diuiſiuas animalis eſſe dicere non debuiſſe, quando (eo authore)aliter arbor illa deſponebatur circa differentias & genera. Neque minus quęrere ſpecies à talibus differentijs conſtitutas debebat, cùm tales combinationes ex diuerſorum generum differentijs formari non poterant. Nec valet dicere, quòd cùm ad, ex irrationalitate & immortalitate conſtructam ſpeciem deſcendit,conticuerit; quia tali ſilentio, illas differentias non poſse coniungi vtputà diuerſorum generum,non ſignificauit;quoniam iam ex rationalitate & mortalitate eorundem diuerſorum generum differentijs ſpeciem conſtitui diuinam ſanciuerat. Et ſi rurſus quęretur, Vnde prouenit, has differentias,quia variorum generum ſunt,combinari non poſse? Hoc eſse reſpondebimus, quia ſuperioris generis differentia, cum ea inferioris coniungenda, licèt illius generis diuiſiua fuerit, non tamen inferioris conſtitutiua extitit; vnde conſtituentis naturę, conſtituti ratio repugnare non poſſet. Irrationalitas enim(ut ad rem deſcendamus)licèt diuiſiua animalis differentia ſit, non eſt tamen pariter animalis rationalis conſtitutiua: & per conſequens mirum non eſt,ſi cum aliqua animalis rationalis differentia, eadem irrationalitas combinata naturam aliquam ſeu ſpeciem erigere non ualeat:non ſolùm enim irrationalitas, animal ratio-

Porphy. incuria.

Vana Porphy. defenſio.

Quæſiti reſolutio

nale non conſtituit,ſed eidem penitus aduerſatur, cùm rationalitati,differentiæ compari nimirum,& ęque animal genus, diuidenti ſit oppoſita ; ex qua rationalitate poſtmodum, hoc ſubalternum inferiusq; genus,animal rationale,conſtituitur. Patet hoc totum exemplo ab eadem Porphyriana arbore decerpto. Ponitur enim in illa pro vno generum corpus,cuius quidem corporis,animatum & Inanimatum differentię diuiſiuę ſunt;&ſub corpore aliud ſubalternum, quod corpus animatum dicitur,cuius adhuc Senſibile,& Inſenſibile ſunt differentiæ. Quare imitatione Porphyr. quatuor eſse corporis differentias dicere poſsemus,animatum, inanimatum, ſenſibile,inſenſibile. Nihilominùs non poterunt ad conſtituendas uarias naturas rerum, variè hæ quatuor differentiæ combinari, quia ex membro, Inanimato,quod corporis eſt diuiſiua differentia, & membro,Inſenſibile,quod animati corporis adhuc diuiſiua eſt differentia,quandam aliam ſpeciem ſeu naturam conſtitui,eſt impoſſibile:quoniam Inanimatum opponitur Animato,cui in corporis diuiſione contradiſtinguitur : &, Animatum, conſtitutiua differentia eſt : huius ſubalterni generis, Animatum corpus ; cuius tandem Inſenſibile diuiſiua differẽtia eſt:quomodo ergo ex cõtrarijs toto cœlo principijs,quorum vnum alterius dicit negationem, aliqua conſtitui poteſt ſpecies? Et pro hac concluſione hęc ſufficiant. ſub qua annotatum ſit quod adhuc fęliciùs à Logicis corpus animatum per ſenſitiuum & non ſenſitiuum diuideretur,quàm per Senſibile & Inſenſibile. nam vt alias rationes ommittamus, corpusanimatum non ſenſitiuum datur,cuiuſmodi eſt illud plãtarum. ſed corpus animatum inſenſibile non repeitur in rerum natura.

CONCLVSIO V.

Quanquam ſingulorum Prædicabili um cognitio diffinitioni etiam & diuiſioni confert, hoc de Differentia tantùm Porphy. meritò quærit.

PRima huius concluſionis pars, quòd ſcilicet Prędicabilia diffinitioni, & diuiſioni, vtilia ſunt, non vt hoc loco ſubſtinenda dilucidabitur; ſed magis ut ſuppoſita ac conceſſa recipitur: quapropter, non niſi modicula quadam (ut ait Auerroes) ad ſui probationem eget innuitione, atque hęc erit, vel ipſius Porphy. authoritas, hoc in ſui operis exordio docentis; vel ea declaratio, quòd ſcilicet diffinitioni prędicabilia conferant, quia genere ipſa, atque differentia cõpletur; atque quòd illud quđ diffinitur, ſpecies ſola ſit. Et quòd Propria magnam partem conferant ad diffinitionis cognitionem; ex Ariſt. primo de anima: Accidentia verò, quia in diffinitionibus, non minùs ac à nautis ſcopuli, euitanda ſunt: at euitari nequeunt quę cognitioni non ſubiacent. Pariter ad diuiſionem ipſam genus pertinet; quoniam ipſum eſt quod ſolet diuidi. Species autem, quoniam ipſę ſunt in quas genus diuiditur; Differentiæ verò, quando ipſæ ſunt per quas diuiditur. Sic Propria & Accidentia; quia ſubiectum in propria & communia accidentia diuiditur. Hic igitur vſus, & vtilitas eſt, quam ex Prædicabilibus diffinitiones & diuiſiones arripiunt; per quam ſic breuiſſi *Quomodo diffinitioni & diuiſioni Prædicabilia conferãt.*

 mis

mis verbis recitatam, primę partis concluſionis eluceſcit probatio. Secundam autem partem ideo appoſuimus: quia Porphy. poſt multiplicem differentiæ aſſignatam diuiſionem, cùm ad illam deſcendit, qua idem prędicabile, in differentiam facientem alterum ſolùm, & facientem alterum & aliud diſtinguitur, ita habet: Secundùm igitur aliud facientes differentias diuiſiones fiunt à generibus in ſpecies, & diffinitiones aſſignantur quæ ſunt ex genere & huiuſmodi differentijs &c. Hunc textum volens pręcedentibus cõnectere Boëtius inquit, quòd poſtquam differentiæ ſignificata (licèt non omnia) expreſſit Porphy. oſtendere hic vult, quodnam inter tot ſignificatum diffinitioni ac diuiſioni deſeruit: quoniam in huius tractatus initio prædicabilia & diffinitioni & diuiſioni conferre teſtatus fuerat. Ob hoc poſſet non leuis Porphyrio moueri difficultas: cur cùm de Genere & item de Specie ſermonem compleuerit, quodnam generis uel ſpeciei ſignificatum (nanque ſicuti differentia, multipliciter prędicabilia illa dicebantur) diffinitioni & diuiſioni deſeruiret, in neutra illorum tractatione oſtenderit; hoc in tractatu de Differẽtia doceat? vel enim in ſingulo prædicabili id demonſtrari, vel fortè tanquam manifeſtum in omnibus ſupprimi debuit.

Quæſiti ſatisfactio. Hæc dubitatio ita dilui poteſt: Vnumquodque prędicabile, & ſi multipliciter dicatur, alia tamen multiplicium ſignificatorum ratio fuit in genere, & ſpecie; alia in differentia: In illis, poſt diſtinctas ſignificationes varias; quoniam vna duntaxat erat, quæ non modò ſuo propoſito, ſed logico vniuerſo negocio deſeruiebat: (alijs tanquam nihil ad propoſitum facientibus, in totum neglectis) illud tantùm aſſumpſit generis, vel ſpeciei ſignificatum tractandum, quod ſuo fini & toti logicæ conferebat: in quo quidem deſcribendo & declarando non

opus oſtendere, quodnam diffinitioni & diuiſioni deſeruiret; cùm eſſet vnum ſolummodo: quippe quod,vt prorſus, & omni ex parte logicum, idem & ad Ariſt. prędicamenta & ad diffinitiones, diuiſionesq́; erat vtile.Sed in differentię ſignificatorum explicatione,alia fuit ratio;quoniam tam differentia communiter dicta,quàm propria, & magis propria,à logico conſideranda veniebant.Nec adeò ea membra condiuiſa, quę præſentis capitis de differentia conſtitutionem ingreſſura non erant, derelicta ſunt,vt penitus neglecta:ac pariter (vt reliqua generis vel ſpeciei extranea ſignificata) ſi à toto negocio logico eſſent explodenda: quia talia adhuc, non minùs ac illud ſignificatum quod in proprio capite occurrebat tractandum,|conſiderationi logicę ſubijciebantur. Non enim magis, differentias magis proprias,& ſi nobiliores ſint,quàm proprias abſolutè dictas,vel communes,logicus contemplatur. Huius rei firmiſſimam pręſtat fidem prędicabile quinta ſede collocatum in hoc Porphy. opuſculo. In illo prędicabile,quod de Accidente inſcribitur, reliqua iſthęc differentię ſignificata, vt etiam ad logicum attinentia indagantur.

Cùm igitur ſic ſeſe res habeat, quòd omnia differentię ſignificata à logica contéplatione nō excludantur,quum præfatum à Porphy. ſit,quinque hæc prędicabilia quod maximè diffinitionum & diuiſionum vſui ſint emolumenti,meritò quis poſſet ambigere, quodnam differentiæ ſignificatum ſit quod eiſdem diffinitionibus & diuiſionibus deſeruiat? Huic obuians Porphy. differentiam magis propriè dictam, hoc munus explere docet: quod clariſſimè ex ſequenti textus ſerie comprobat,vbi has differentias magis propriè dictas,atque aliud facientes, eas eſſe monſtrat, quæ & genera diuidunt, necnon & ſpecies conſtituunt: ex quo duplicis actus exercitio

ad duo, eiuſdem differentię vtilitas manifeſtè ſatis colligitur. Ratione nanque illius effectus, quo genera diuidit, claret, qualiter diuiſioni conferat: ob id autem quòd ſpecies conſtituit, diffinitioni eſt neceſſaria; quia cùm ex eſſentialibus diffinitum conſtituentibus, ipſa conſtet diffinitio, diffiniendaſque ſpecies Differentia, quæ maximè propria vocatur, conſtituat, eandem differentiam diffinitioni eſſe per vtilem ſequitur.

Dubita. Sed ingenioſus inſtabit Iuuenis, Cur Porphy. vt in exordio propoſuit, hanc eandem differentiam ad moliendas demonſtrationes eſſe proficuam non expoſuit, ſicuti & diffinitiones & diuiſiones ad memoriam reuocans, eiſdem hęc vniuerſalia deſeruire monſtrauit: *Reſpõſ.* Hoc neceſſarium non fuiſſe reſpondemus, cognito nanque quòd diffinitioni conferat differentia; quòd pariter demonſtrationi ſit vtilis, nemo profectò ambiget, quando quidem ipſa demõſtratio, diffinitione erigitur. Dicitur enim paſſim in libris Poſt. quòd diffinitio ſit demonſtrationis principium; demonſtrationis medium; & tota demonſtratio ſola poſitione differens.

Obiectio. Sed quiſpiam rurſus obijciet, Cur de reliquis Prædicabilibus duobus, Proprio nimirum & Accidente Porphy. agens, illaque in plura ſignificata etiam diuidens; non demonſtrat pariter vt hìc, quodnam ſignificatum ad diffinitiones & diuiſiones ſit vtile, cùm præſertim nullum ſignificatorum illorum logicam aufugiat conſiderationem? *Solutio.* Ad hoc dicitur, quòd illa duo Prędicabilia, alia ratione (vt prætactum eſt) a tribus prioribus alijs, eiſdem diffinitionibus & diuiſionibus conferentia ſunt. Alterum ſcilicet ad bene eſſe, alterum verò per accidens. Proprium enim ad bene eſſe diffinitioni deſeruit: quia ex proprietatum diffiniti cognitione, in propriæ & eſſentialis illius differentiæ notificationem venimus:

mus quia vt in libris Phyſicorum habetur, Proprium arguit formam; Accidens verò eidem non per ſe, ſed per accidens expedit: vt ſcilicet euitetur, & nullo pacto diffinitionem ingrediatur. Si autem quid ipſum accidens ſit, ignoratur, euitari nequaquam poterit. Ad diuiſionem autem utrunque prę dicabile facit, ac ſecundum omnia illorum ſignificata; non tamen illi diuiſioni, quę generis in ſpecies fit, erit ex vſu; ſed quę erit ſubiectorum in accidentia; atque illa vel propria vel communia; & in quodcunque eorundem prędicabilium ſignificatum.

Contineri tamẽ non patior, quin referam, quòd non poſt paucos dies, ab huius noſtræ concluſionis diſcuſſione quam in priuatis familiaribusque lectionibus habebamus, Hieronymus Caluus miri ingenij iuuenis, fraterq; dilectiſſimus noſter, in cuius gratiam eum laborem lubentiſſimè ſuſcipiebamus; propoſitam in huius concluſionis exordio aduerſus Porphy. dubitationem, quam à nemine tactam putabamus, à Braſauolo & motam, & vt à nobis ſolutam, nuper edito quodam opuſculo indicauit. quod, num moleſtiam, an hilaritatem nobis per tulerit magis; illis, quibus idem euentus aliquando contigerit, iudicandum relinquo. Deum teſtamur, ab alio hanc materiam tractatam legiſſe nos nunquam. Verùm iuuenis ille, qui hæc Braſauoli monumenta in lucem edidit, nobis & notus & coætaneus, quoniam in Braſauoli reſolutionem inuehitur; illum tueri, vt nos pariter ab inſtantijs uindicemus (eandem enim eſt illius & noſtra poſitio) rationabiliter cogimur. Oppugnat ergo ſic: Non, quia omnia differentię ſignificata Logico deſeruiunt, Porphy. in tali capite diſtinctum ſignificatum expreſſit, quod diffinitioni & diuiſioni eſſet uſui; quia tunc idem in tractatu de Proprio egiſſet; cùm omnes Proprij ſignificationes logicę

Huius cõcluſionis reſolutio à Muſa prius habita.

Inſtãtia cõtrà reſolutionem.

adhuc

adhuc conſiderationis ſint: quod actum non videmus. Ad hoc, per ea quæ quaſi vaticinantes ſuperius dicebamus, reſponderi poteſt: quia Proprium ipſum cum omnium ſignificatorum ambitu, diffinitioni vel diuiſioni neceſſariò non deſeruit, ſicuti Differentia; ſed tantùm ad bene eſſe; non enim Proprium diffinitionem ingreditur ſic, vt illius conſtitutionem perficiat, abſq; cuius adminiculo careat diffinitio complemento; ſed tantùm ad inquirẽdas differentias parteſq; diffinitionem neceſſariò ingreſſuras, maximè (teſte Ariſt.) conducit.

Reſpõſ.

Alia poſitio.

Affert Iunior ille Pacca, poſt eam Braſauoli ſic confutatam poſitionem, quàm veriorem cenſet, propriam, quòd diuiſiones ſunt generum, diffinitiones autem ſpecierum, quæ omnes nòn fiunt niſi differentia mediante; qua ratione oportuit, vt priuſquam de diffinitione & diuiſione Porphy. ageret, cognoſceretur & genus & ſpecies; & tunc in declaratione Differentiæ illud declararetur. Mirum eſt, quomodo in hæc abſurda lapſus fuerit doctus iſte iuuenis, ac ſi dubitationis vim neglexiſſet. Nam in hac ſua reſponſione ſupponit, quòd acturus Porphy. de diffinitione & diuiſione, prius de genere & ſpecie tractauit, vt puta, de illis quorum cognitio ante eam diffinitionis & diuiſionis erat neceſſaria; atque illis tum expoſitis, de diffinitione & diuiſione in capite de Differentia egerit. Hoc vt falliſſimum, prorſus explodendum eſt; quia à pari tunc prius de differentia tractare debuiſſet, & poſtea de diffinitione & diuiſione; quia differentia pariter, non minùs ac genus & ſpecies præcognoſci neceſsarium fuiſſet in doctrina diffinitionis; quippe cùm hæc, per ipſam & genus completur, et in doctrina diuiſionis in qua per eandem differentiam diuidenda diſtinguuntur. Præterea deberet huius occaſione ſaltem in capite de Differentia, ex affinitate ſermonis oſtendere,

Confutatio.

dere, quod emolumentum diffinitioni & diuiſioni genus & ſpecies afferrent, ſi in proprijs capitibus iſtud explicare non licebat. At probare nō eſt opus, quòd Porphy. in hac ſua introductione, nec de diffinitione, nec de diuiſione agat; vnde iſtarum tractatus, generis & ſpeciei enucleationem prę exigat. Sed quia in proœmio huius libri intraductorij dictum eſt, quinq; vniuerſalia, vltra vtilitatem quàm intelligentiæ Prædicamentorum ob quæ potiſſimū indagantur. adducunt, diffinitionibus, diuiſionibus, & demonſtrationibus conferre; de hac vtilitate, in capite de Differentia mentionem fecit; quæ in eo generis vel ſpeciei prætermiſſa eſt, ob eam quam prę ſcripſimus cauſam. Nec (vt diximus) de diffinitione vel diuiſione ſpecialiter tractaturus poſt expeditam generis & ſpeciei diſputationem, ad caput de differentia ſermonem illum diſtulerit. Et hęc ſatis.

CONCLVSIO VI.

Genus actu differentias continere, ſatis extra propoſitum imaginatus eſt Burleus.

ASſignans primam differentiæ deſcriptionem Porphy. illam eſſe inquit, qua ſpecies a genere abundat. Subdens poſtmodùm dubitationem; quum à genere differentias ipſa ſpecies habeat, ergo adhuc & genus eaſdem continere debet: nam ſi non contineret, nec illas ſpeciebus impertiret, vul-

gato

gato prouerbio: Quòd nemo dat, quod non habet. Vnde non uidetur, quòd ſpecies plures differentias quàm genus habeat, & quòd magis abundet. Diluit obiectum Porphy. docens verum eſſe genus differentias continere, attamen potentia, non actu; ſpecies autem illas continet actu: quoniam ab illis eadem conſtituitur, genus ipſum, nempe ſuperius diuidentibus. Et ratio, qua actu genus differentias non continet, clariſſima eſt; quia tunc contraria in eodem, actu admitterentur: contrariæ nanq; differentię ſunt, quę genus diuidentes ſpecies conſtituunt varias; quod ut impoſſibile à Philoſophis reijcitur.

Burlei ſentētia. Hinc Burleus, genus ipſum etiam actu differentias continere, non potentia duntaxat, aſſerit. Habet enim genus (inquit) proprias eaſdemque conſtitutiuas differentias, quas etiam actu continet, & ſi eas, quę diuiſiuæ appellantur, poteſtate contineat.

Confutatio. Hoc & ſi rei veritati innitatur, eſt tamen (vt nos arbitramur) ſatis extra propoſitum enunciatum. Loquitur nanque grauiſſimus author Porphyr. (æquiuocatione prorſus omni neglecta) de genere & ſpecie; vt illud formaliter genus eſt, hęc uero ſpecies, propria non variata conditione; iuxta quem loquendi modum, potentia illud, actu hæc differentias continet. Quando autem genus quoque ipſum differentias, nempe conſtitutiuas, actu poſſidere bonus affirmat Burleus: hoc de genere ſub conſideratione qua genus eſt, intelligi neutiquā poteſt: quia cùm non ſit maior ratio de vno quàm de alio, tunc omne genus illos ſibi uendicaret: quod eſſe falſiſſimum, genus ipſum generaliſſimum, quòd iam genus eſt, & tamen differentias actu non habet, nec conſtitutiuas habere imaginari poteſt, claram fidem facit. At ideo Burlei dictum, verum eſſe autumauimus, quoniam quàm plura genera reperiuntur,

tur, quę etiam ſpecies eſſe queunt, vt de ſubalternis nuncupatis generibus verum eſſe cōſtat. Verùm enim verò genus hoc ſubalternum, ſi differentias actu retinet, (vt iam ratio ſuadet) quandoquidem ſui ipſius conſtitutiuas differentias non poſſidere eſt impoſſibile; illas tamen habet ſub conſideratione qua ſpecies eſt, non qua genus: quia ſpeciei proprium eſt conſtitui; quod generi non per ſe, ſed per accidens competit, pro quanto idem generis & ſpeciei conditiones ſortiri, accidentaliter euenit. & vt ſic quum genus illud (vt ſpecies tamen conſideratum) differentias actu habeat; illas eaſdem differentias ſuum ſuperius genus, à quo hoc ipſum dictis differentijs potitus eſt, in potentia continebit, nequaquam verò actu: quia de ratione generis (vt aptiſſimè Porphy. ſermonem fecit) eſt, quòd potentia differẽtias, contineat, ſpeciei autem quòd actu. quemadmodum de prædicatione exemplum reddi poteſt. Generi nanque ſolùm prędicari de ſpeciebus competit: non autem quòd aliud de eo prædicetur, ipſúmque ſubijciatur: quod ſi euenit, hoc eſt quia illud genus, alio reſpectu, ſpeciei poteſt ad huc ſubire uices; & ſub ſpeciei ratione, non inconuenit, quòd aliud de eo dicatur.

CON-

CONCLVSIO VII.

Quas ex Platonicis contra Ariſt. colligit rationes Ammonius, Genus non poteſtate ſed actu differentias continere, probantes, nullius eſſe momenti; uanam quoque eſſe pro Ariſt. ab eodem Ammon. allatam defenſionem.

COncluſerat, vt in prætacta propoſitione notauimus, Porphy. ſecundùm Ariſtotelicam doctrinam in cap. de Differentia, genus diuiſiuas differentias continere; & ſi contrariæ illæ ſint potentia, actu tamen minimè: quoniam ſatis eſſet abſurdum, idem contraria ſimul in actu continere; quod in potentia fieri repugnantiam non arguit, vt ex 7. Metaphy. tex. 42. docemur. Vbi habetur, quòd ſi genus differentias actu participaret, dictum genus contrarijs participaret. Et eodem libro tex. 43. ait Ariſt. genus per ſe ſimpliciter non eſſe; ſed eſſe ſuum eſt in ſpeciebus; in quibus ſcilicet genus eſt in actu: ſpecies autem & differentiæ in genere ſunt in potentia. Vnde dicebat Auerr. in lib. deſtruc. deſtruct. diſput. 7. in principio ſolutionis tertij dubij: Natura genus nunquam in actu reperitur.

Ammonius tamen ibi Porphy. exponens, ex Platonicis

tonicis quaſdam adducit rationes quibus contra Ariſt. genus non potentia,ſed actu differentias cõtinere oſtendere nituntur. atque hoc dogma ſic primò probant. Rationale & irrationale, mortale & immortale,quæ differentię animalis ſunt, & per Ariſtotelicâ monumenta contrarię appellantur;cõtrariæ ſecundum veritatem minimè ſunt; & per cõſequens à genere actu continebuntur: quia deeſt impedimentum,quo illi non contineri contendebant. Probatur,quòd contraria non ſint.Ea ſunt verè oppoſita quæ ſeſe viciſſim interimunt: hę iam dictæ differentię tantum abeſt vt ſibi mutuum interitum parent,vt etiam ſeſe conſeruent:nam à rationali & immortali id quod eſt mortale & irrationale ſeruatur. Deus enim cùm rationalis immortaliſq́; ſit, mortalia omnia cuſtodit. Homo pręterea, qui rationalis eſt,ratione carentium curator eſt, & conſeruator: ſic etiam immortales Angeli, mortales homines curant cuſtodiuntq́ue.

Platonicorum poſitio.

Prima Platonicorum ratio.

Secundò Platonici arguunt: Eſto quòd ſint hæ differentię contrarię: non prohibebitur ex hoc, illas actu in genere eſſe poſſe: quia ea contraria non poſſunt actu eſſe in vno ſubiecto, quę illud ſubiectum habent corporeum:nam tunc vnumquodque contrarium,ſubiecti quęrit fieri particeps. At quoniam ſubiectum eſt incorporeum,cuiuſmodi eſt genus(vt quinque rationibus multis verbis ibidẽ demonſtrat Ammo.)hoc non eſt abſonum. Patet hoc exemplo;quia oculus albedinis, & nigredinis eſt ſubiectum;& anima boni,& mali; frigidi,& calidi.

Secunda ratio.

Tertiò;Quum omne, quod eſt in potentia, ad actū per aliquod in actu exiſtens reducatur;(& eſt hoc quoque Ariſt. placitum.) aliquid eſſe debet, quod hanc generis potentiam ad actum deducat; ſed nihil eſt quod ſit tale;ergo nec genus differentias in potentia continebit.

Tertia ratio.

Quartò;

Quarta ratio. Quartò: Tunc ſpecies eſſet genere perfectior: quia id quod eſt in actu, eſt perfectius eo, quod eſt in potentia: quia actus ipſi eſſe, potentia ipſi non eſſe aſſimilatur: & ſic cauſatum eſſet ſua cauſa dignius, & perfectius, &c.

Ammo. ſentētia. Ammonius, vir doctiſſimus, nec minus Platonicus quàm Ariſtotelicus; volens in Ariſt. gratiam has diruere rationes, ac pacem inter præcipuos Philoſophos componere, triplex eſſe genus ſeu vniuerſale aſſumit. *Vniuerſale triplex.* Quoddam genus eſt, quod ante multa, nuncupatur: quoddam quod in multis; & quoddam quod poſt multa. Hanc diſtinctionem ad Ariſt. aures breuibus pro iunioribus nos declarabimus. Per genus ante multa, Deus benedictus iuxta Ariſt. opinionem intelligitur; iuxta Platonem verò Ideę. ſunt nanque omnibus entibus ſaltem natura priores. Per genus in multis, vniuerſale ipſum importatur; quod cùm de multis prædicetur, in multis exiſtat neceſſium eſt; ut animal, ſubſtantia, &c. Per genus autem poſt multa, illud vniuerſale comprehenditur, quod Intellectus ope perficitur; cuiuſmodi eſt Genus (ipſa nempe generis vox) Species, Differentia &c. Hæc autem poſt multa, dicuntur; quia apprehenſa ab Intellectu, quę in multis reperitur conformatione, formatur inde vniuerſale, genus, vel ſpecies &c. poſt exiſtentiam eorum quę ſub ipſis ſunt, a quibus tales intentiones proſiliunt; ſic nominata & dicta.

Platonicorum et Peripat. cōcordia ex Amm. Inquit igitur Ammo. quòd de alio genere loquūtur Platonici, de alio autem Porphy. ad mentem Ariſt. Platonicorum ſermo eſt de genere ante multa, in quo quidem, actu differentiæ vniuerſę reperiuntur; cui omnium rationes re ipſa ineſſe poſſunt. Atque hoc (vt arbitramur) Ariſt. non contradicit; quoniam Auerr. in 12. Metaphy. in fine com. 18. dicit omnes proportiones & formas eſſe in potentia,

tia in prima materia,& in actu in primo motore; quod etiam ex Philopono primo de anima in fine expoſitionis tex.com.6.colligi poteſt. Qui quidem primus motor apud Ariſt. vniuerſale ante multa nuncupabitur. Quandoautem ab Ariſt. aſseritur & à Porphy. genus non in actu, ſed in potentia differentias continere; intelligitur (inquit Amm.) de genere quod eſt in multis, & demultis prædicatur. Et hac habita diſtinctione nulla reperitur inter hos grauiſſimos authores controuerſia.

Verùm & ſi maximus Ammo. per hęc uerba, genus quod eſt ante multa differentias actu continere, quod uerò in multis, poteſtate, doceat; non tamen (ut noſtra fert opinio) elucet ex his, quomodò rationes Platonicę adductę contra genus quod eſt in multis (quod intellectum à Porphy. & Ariſt. rectè expoſuit Amm.) adhuc non concludant: quia dicerent fortè Platonici, conceſſo hoc ab utroque Philoſophorum principe, quòd genus ante multa differentias actu habeat; de eo, quod eſt in multis rationes ulterius cogunt, ut prius: quandoquidem in ipſo animali differentiæ, rationalis & irrationalis, actu ſunt, quæ ſeſe mutuò fouent, non modò nō ſunt contrarię, ut prima ratio probabat. eſtq; animal genus in multis, appellatum. Pariter quum hoc genus in multis incorporeum ſit, poteſt contraria continere, vt ſecunda ratio cogebant. Eodem modo vt prius reliquæ rationes concludunt. Quare & ſi vera dixerit Ammo. non tamen ſatisfeciſſe conſtat.

Ammo. Philoſophos non cōciliat.

Nos verò & ſi tanquam inter elephantes culex proprium interponere iudicium maximè deterreri deberemus, exercitationis tamen duntaxat ſtudio, aliorum ſententijs nos perpetuò ſubmittentes, falſam Platonicorum poſitionem declarantes, eorundem rationibus ſic reſpondere auderemus. Et pri-

Opinio noſtra.

Ad primã Platonicorũ rationẽ. mò ad formam primæ rationis quæ eſt talis: Contraria ſe mutuò interimunt. Rationale & irrationale, non ſe mutuò interimunt: ergo non ſunt contraria, & ſic coexiſtere in genere poterunt; Reſpõdetur, hoc pacto maiorem intelligendam eſſe, Contraria ſe ſe mutuò interimunt, id eſt, inſimul in uno & eodem ſubiecto non compatiuntur. Tunc negatur minus; quia rationale & irrationale in uno ſubiecto compati non poſſunt. Ad probationem dicitur, quòd ſi immortale cuſtodit mortale, & rationale pariter irrationalis curam gerit, ideo hæc contraria non ſe interimunt; quia non ſunt inſimul in eodem ſubiecto, vt Maior præmiſſa proponebat; ſed in diuerſis. Minor ergo debebat ſubdere, quòd rationale & irrationale inſimul in eodem ſubiecto compatientur: quod iam appareret falſiſſimum; & tunc procedebat concluſionis ſequela. At cùm in Deo fundetur immortalitas, & in homine mortalitas; rurſus in hoc rationalitas, in equo irrationalitas diuerſorum ſubiectorum occaſione, corruit argumentum. Et, vt ad maiorem dilucidationem deſcendamus, nolumus nunc decernere, num ſecundum Peripateticos mortalia ab immortalibus conſeruentur: quoniam hæc tractatio limites noſtræ diſputationis egreditur, cùm longiſſima in duodecimo Metaphy. fiat diſcuſſio, An Deus inferiora cognoſcat: ad quam cognitionem poſtea cura ſequitur & gubernatio. Verùm apertiſsimè ab eiſdem Peripateticis negatur mortale, & immortale ſe in uno ſubiecto compati poſſe. quod eſſet, ſi illa in actu à genere continerentur: Quia cùm alterum mortalitatem, immortalitatem alterum dicat, vnum idemq; ſubiectum vtriuſque ſuſceptibile eſſe nequit: quia de quolibet (vulgata Logicorum norma) dicitur eſſe vel non eſſe, ſub diſiunctione, non coniunctione. Vt autem mortalitati homo, Deus immor-

mor-

mortalitati ſubijcitu:quia contrariæ illę differentię in diuerſis fundantur ſuppoſitis; non conſequitur, mutuum inter ſe interitum afferre ſubiecta illa; immò & amicitiam & conſeruationem. Similiter, quoniam conſiderat rationalis homo, illud quod irrationalitati ſubijcitur, vtq́ue illud ſibi utile diiudicat, illud conſeruat fouetq́; ; quia contraria non ſunt:& ſi eorum differentiæ contrariæ ſunt, contrariæ (inquam) ob hoc, quia ab eodem ſubiecto ſeſe mutuò expellunt.

Eodem diſcurſu incedentes obſeruamus (atque hoc non paruam Platonicis uim inferret) rationalia animantia irrationalium quorundam non modò curam non gerere, ſed illorum perniciem, exitiumque prorſus inquirere;& irrationalia rationalium, vt de homine & leone, ſcorpione, angue, ſerpente, cimice, infinitiſque alijs liquet. Nec minus quam plurima inter ſe irrationalia mutuò ſtudent interitui, ut de cato & mure, lupo & agno, cane & lepore, cęteriſq́; innumeris apparet. Nec tamen huiuſcemodi animalia, etiam ab Ariſtotelicis ſub ratione, qua eſt unum rationale, aliud irrationale, contraria vocabuntur;quia tunc vnumquodq; eſſet vnicuique contrarium: ſed ſub alijs proprietatibus adinuicem aduerſantur, ſiue vt malum ſolet bono opponi;ſiue quia vnum proprij indiuidui conſeruationem, aliud perditionem quærit. Pari ratione tenemus, arare & non arare eſſe contraria. At dicent Platonici ea non eſſe contraria, ſed potius mutuò ſeſe conſeruantia; quia inops arans, diuiti non aranti ſuppetias prębet: vel illum egenum huic opulento non eſſe contrarium; quia hic ab illo opera ad vitam commoda impetrat. Hoc certè (iudicio noſtro) grauiter dictum haud eſſet: cùm aliud ſit loqui de differentijs, aliud de ijs quæ differentijs informantur. aliud èſt tractare de contrarijs vt in Notãdũ.

uno ſubiecto habent fieri,aliud vt in diuerſis ; prima cõſideratione impoſſibile eſt ut compatiantur; ſecunda non repugnat. Quis (quæſo) affirmabit aratorem,eſſe non aratorem,vel inopem eſse diuitem? illaque ab eodem non eſse ſeſe mutuò expellentia? Pariter nec ſanæ mentis homo negabit, easdem differentias in diuerſis ſuppoſitis repertas, poſse compati.

Hac ratione hìc aduertendum,quòd per contraria,non propriè cõtraria intelligenda eſſe debent, ſed ſecundùm affirmationem & negationem oppoſita, de quibus potiſſimùm in Poſtprædicamentis dixit Ariſt. cap. de oppoſitis, quòd ſe mutuò interimant, & à ſubiecto pellant: quia vnum, alterius negationem includit ; vt ſedet, & non ſedet ; nam vtrunque impoſſibile eſt reperiri in vno eodemque ſubiecto ; & ſi in diuerſis ſubiectis, iuxta ſenſum à Platonicis acceptum, ille qui ſedet, non opponitur ei qui non ſedet, quinimo ſeſe mutuò fouent cùm non ſedens, ſedentis capillos tondeat.

Platonicorum ue cordia. Præterea, & eſt fortè animaduerſione dignum; Platonici differentias eſſe actu in genere probare conantur, et tandem ex argumentatione differentias eſſe actu extra genus,in proprijs nimirum ſpeciebus,aperte concludunt. quod eſt contra propriã opinionem, & ad Ariſt. mentem. idque inſpicienti factum clariſſimè apparebit. Nam ex hac eorum prima ratiocinatione colligitur, Deum & homines, qui differentias ab animali contrarias habẽt, mutuò non opponi, & easdem differentias actu non potentia continent. Sed Dij & homines per Porphy. noſtrum, animalis ſpecies ſunt ; non ipſum genus, quod eſt animal. At hoc proprium Peripateticorum fuiſſe dogma,omnibus patet;tantùm abeſt quòd illis repugnet. Hæc omnia,ſi Latino-

tinorum noſtratium more loqui uelimus, breuibus complectemur dicentes, aliud eſſe agere de contrarijs, vt formaliter conſiderata ſunt, aliud vt materialiter, ſeu fundamentaliter. Primo modo, impoſſibile eſt, quòd compatiantur: ſecundo verò non eſt inconueniens. Quòd ſi nonnulli obijciant, vt ex Platonicis ſubdit Ammonius, iram, cupiditatem, & ſenſum, quæ irrationales facultates ſunt; & animam (feliciùs dixiſſent intellectum) quæ rationalis uis eſt, in uno eodemque ſubiecto, humano nimirum corpore eſse; Reſpondebimus, alias atque diuerſas in hominis corpore partes, ſibi uendicant aliæ ac diuerſæ hæ facultates; alia nanque ſibi aſciſcunt organa, nec inſimul vniuerſæ commune ſubiectum habent; ſicuti neque ab una oriuntur cauſa. Illæ quidem paſſiones ira, &c. ex animalitate, quæ in homine materię gerit uices dependet, hic autem Intellectus, potentia quædam eſt, ex rationalitate, quæ eiuſdem ſubiecti eſſentialis eſt forma, ortum ducens. *Obiectio.* *Solutio.*

Ad ſecundam Platonicorum rationem, qua arguitur, in ſubiecto incorporeo, cuiuſmodi genus eſt, non repugnare, quòd actu duo contraria reperiantur; illud negantes reſpondemus. Ad probationem, quòd ſcilicet oculus candoris, & nigroris rationes admittat anima boni & mali, ac adſi uerſorum rationem habeat; dicimus hæc omnia in anima, & colores in oculo eo modo non conſiſtunt, ſicuti in genere differentiæ ſunt. Illa enim ſunt tanquam in ſuis potentijs obiecta; hę verò ſicuti in ſuo toto partes. Quoniam igitur oculus, & anima reſpectu illorum contrariorum ſunt ſicuti potentiæ, & organa reſpectu propriorum obiectorum, circa quæ iudicium dignotionemque ferre debent; *Ad ſecundam.*

ob hoc in illis ſunt contraria:& ſi dici poſſent, non vno eodemq; tempore contrariorum rationem illis in eſſe,& in actu. Non enim anima bonum vel malum iudicare,nec oculus album, & nigrum diſcernere poſſet,niſi utrorumq; ſpecies,(etſi contrariæ) illis repræſententur; quum illa præſertim intentionaliter, hic autem ſpiritualiter recipiat. Specierum autem differentię conſtitutiuę in genere ſunt, ceu partes in ſuo toto; quæ cùm contrariæ ſint, in illo reperiuntur ſolùm in potentiâ; quia ſi in actu reperirentur, actu contrariorum munia obirent: quæ eſſent mutuò ſeſe expellere ac interimere, cùm circa vnum & idem competere non poſſent, exiſtente illo uno totum; ſub qua ratione vnaqueque differentia, illius particeps fieri uolens, aliam extruderet.

Notãdũ. Animaduertere hic ingenioſi debent, quòd cùm genus indeterminatum quoddam ſit & confuſum, hoc ratione potentialis continentię, plurium ſpecierum conſtitutarum ex oppoſitis differentijs ab eodem genere ortis prouenit. Vnde ſi genus ipſum actu differentias contineret, ſpecies euaderet; quoniam ſui ipſius vniuerſalitas, confuſio, & indeterminatio,quibus in quauis ſibi ſubiecta ſpecie reperitur, ex eo quòd haberet actu differentias; diſtingueretur, determinaretur, &(ut ita loquamur)particularizaretur:quoniam, vt nullis hic authoritatibus utamur(ita rei occaſione exigente, quum inter varias Philoſophorum ſectas verſetur diſputatio) ſed tantùm rationibus ex ipſa rei natura deſumptis; differentia,(vt ſui nominis ethimologia prę ſe fert) cùm cauſa exiſtat,qua vnum ab alio differat, ſi in genere eſset in actu,actu faceret vnum ab alio differre; & ſic cùm differentia alicuius ſpeciei, hominis videlicet(ut exemplis vtamur)reperiatur in genere actu, actu faciet hominis ſpeciem,cuius eſt differentia, ab

alia

alia ſpecie differre;& ſic ſequetur, quòd illud tale in quo ipſa differentia erat,derelicto ſuæ vniuerſalitatis ambitu, contraheretur & ſpecificaretur ad illam eandem naturã ſeu ſpeciem, cuius differentiam actu continebat. Hoc autem aſserere quòd genus fieret ſpecies,eſt ipſa abſurdius abſurditate.

Eſt quoque aduertendum,quòd bonum & malum in anima, & album ac nigrum in oculo, ſunt tanquam à recipientibus aliena penitus, & extranea,illorum conſtitutiones minimè ingredientia. Vnde cùm ſibi ipſis,illorum naturas in quibus ſunt,attribuere nequeant, videtur quòd(quamuis contraria) aliquo modo contineri poſſint à recipientibus.Differentiæ verò,quoniam ſunt in genere tanquam eſſentiales illius partes, ac totum eius eſse conſtruentes, (nil enim genus eſset, niſi illius natura differentiarum ope ac officio ad plures ſpecies contracta appareret)ſi in genere actualiter reperirentur,ratione qua oppoſitæ eſset, uel ſe inuicem perderent, uel ſub ratione qua vnaquæq; differentia,propriam quã conſtituit ſpeciem ab alijs ſeiungeret, genus ipſum (vt iam deductum eſt) ſpecificaret.Sed longioribus quã par fuiſset, in hac reſponſione,vſi ſumus uerbis. *Notãdũ.*

Ad tertiam accedamus. Quando dicunt, Si genus differentias potentia contineret, illa potentia ad actum,per aliquod in actu exiſtens, debere reduci;Concedimus propoſitionem abſolutè prolatam (cùm Atiſtotelica ſit)non tamen in propoſito. Et cùm aſſerunt,illud quod hanc exercebit reductionẽ, non eſse aliud ab ipſo genere; Hoc negamus;quia tunc(ut ad ſecundam rationem diximus) ſpecificaretur genus; erit ergo illud (vt petitioni condonemus)vel ipſa propria facultas,uis,ſeu potentia, quæ in genere naturaliter conſiſtebat ad habendum eaſdem differentias actu,quando illas non poſſidebat, ad quas poſſidendas apta nata erat,uel erit(ſi vt de *Ad tertiã rationem.*

cis receptum; tantùm abeſt quòd inconueniens pa riat. Quantò enim indeterminato, & confuſo, determinatum, ac diſtinctum perfectius eſt, tantò genere ſpecies exiſtit perfectior. Genus nanq; non aliud ab imperfectione dicit; ſpecies uerò ob informantem differentiam ipſa eſt perfectio. Et eadem ratione fortaſsis, perfectius ſpecie ipſum eſt indiuiduum quoniam & hoc indeterminatam adhuc ſpeciei naturam determinat, & ad eſse reale extra animam, illius quidditatem & eſsentiam indicat. Vnde Ariſt. in prædicamento ſubſtantiæ, proprias, principales, & maximè ſubſtantias ipſa indiuidua non immeritò nuncupauit: eademq; primas ſubſtantias ubique nominans, perfectionemq; illis maiorem reſpectu ſecundarum ſubſtantiarum, inter quas tam genera quam ſpecies collocantur, attribuens.

Nec obſtat quod obiiciebant, cauſatum tunc nobilius cauſa propria eſse: quia neq; hoc eſt abſurdum. Non enim quoduis cauſarum genus nobilitate cauſatum anteit, cùm inter alias, materialis cauſa ſit ſuo cauſato longe indegnior, in qua claſse generis reſpectu ſpecierum cauſalitatem collocamus. Genus quandoquidem in diffinitionibus quæ ſpecierum ſunt, materię uices obtinet; differentia autē formę: quod adeò clarum eſt; ut ulteriori declaratione non indigeat. *Obiectionis dilutio.*

Hęc, exercitationis gratia (ut pręfati ſumus) a nobis tantùm dicta eſse uolumus: non quòd id nobis tribuamus, ut in re inter tantos taleſq; uiros, Philoſophorumq; principum ſectatores diſcuſsa ac diſcutienda, mutum quod deberet eſse & clauſum penitus, uocis auderemus ineptę aperire inſtrumentum: utque domino Ioanni Iacobo Caluo patri, plurimaq; obſeruatione colendo, qui huic uoluit intereſse lectioni morem gereremus filialem. *Ioannes Iacobus Caluus.*

Con-

CONCLVSIO VIII.

Differentias, Generis diuiſiuas non eſſe.

QVoniam uox iſta (Diuidere) duo in ſimul ſuapte infert natura, aliquod ſcilicet quod ſit diuiſionis particeps, & aliqua quæ ab illo diſiuncta & diuiſa partium nomina habeant. quia etiam illud tale diuidendum, in partes habet diſponi; neceſſarium eſt vt totum quoddam ſit. Hinc igitur quando dicitur differentias genus diuidere; genus totius rationem habere ſignificatur, & quòd partes ſint, quæ ab illo toto in quo in ſimul erant, ſegregentur. Sed quia genus vt quoddam totum eſſentiale eſt, nullo pacto diuidi poteſt: quia tunc eius eſſentia partiretur: quod impoſſibile uidetur; aliunde petenda eſt diuiſio. Ratio huius impoſſibilitatis eſt; quia ſi diuerſę ſpecies, genus diuidentes, illius eſſentiam partirent, tunc una pars eſſentiæ generis u. g. animalis, reperiretur in homine, alia in capra, alia in capra, alia in leone; & ſic omnes animalis ſpecies vnam & eandem eſſentiam non participarent, quia alia eſſet eſſentia vnius, alia alterius; & per conſequens vni communi, atque vni genericæ naturæ, ſpecies non communicarent. quod eſſet à ueritate alienum; quoniã vnica generis eſſentia ęquè tota à ſingulis ſpeciebus participatur. tota nanque animalis eſſentia, in omnibus ſpeciebus eſt tota; & tota in ſingulis: nec homo animalis eſſentiæ partem vnam ſibi vendicat, aliam bos, aliam item leo. &c. Eſſentia, vlteriùs, forma quędam eſt indiuiſibilis

Totum eſſentiale indiuiſibile.

lis ſecundùm ſui totalitatem, & à quocunque ſibi ſubiecto æquè participata, nulloq; modo in partes diuiſa. Cùm ergo genus hoc pacto diuidi neutiquam poſſit, concluſionem noſtram propoſitam, in qua dicimus, differentias generis diuiſiuas non admitti, ſequitur eſſe veram.

Sed quoniam ipſi repugnant non modò expoſitores quotquot ſunt, ſed ipſe etiam Porphy. qui per vniuerſum differentię caput, differentias diuidit in eas quæ generis diuiſiuæ ſunt, & in eas quę ſpecierum conſtitutiuę appellantur: & vlteriùs deſcribens tertiò differentiam illam, per actum hunc diuiſionis deſcribit, dicens, quòd ea ſit quę genus diuidit; ideo hæc generis totalitas alio modo intelligende venit. Quapropter ſciendum eſt, quòd genus vltra quod totum quoddam eſt eſſentiale, dicitur etiam totum poteſtatiuum; quia ſcilicet poteſtate quadam omnes ſub ſe poſitas continet ſpecies: & hac etiam ratione ſpecies eędem contentæ, partes poteſtatis generis vocantur: & ſic conſideratum genus diuidi poſſe non repugnat: quoniam, ut ſic in multas partitur ſpecies. & vt ſic diuiſum, non vnum (vt de eius eſſentia dicebatur) remanet totum ſed partitum: ob hoc quòd eius ampla poteſtas, ad plures deſcendens ſpecies, diminuitur, & quaſi tota poſtmodum in ſuas partes, quippe quæ eadē ſpecies ſunt, reſoluitur. Atque hoc ideo prouenit, quia in ſingulis ſpeciebus, nequaquam tota generica poteſtas reperitur; vt de eiuſdem eſſentia aſſerebatur. Nam tunc unaquæque ſpecies contineret ſub ſe tot alias ſpecies, quot & ipſum genus continet; ſed duntaxat quædam portio, quę vna per differentiam ad vnam ſpeciem deueniens, & alia ad aliam, & ſic de omnibus partibus poteſtatis generis reſpectu omnium ſub ſe contentarum ſpecierum, ad quas illæ per differentias diſcendunt, efficiunt, quòd

Duplex in genere totalitas.

CONCLVSIO IX.

Porphyrius, quamuis quinque aſsignà uerit Differentiæ diffinitiones, ſiue deſcriptiones, nullam illarum verè Differentiam diffinire, vel deſcribere concludimus.

NON poteſt prẹſens propoſitio intelligi, quòd de uera diffinitione ſenſum comprehendat, quùm idem de deſcriptione proponat, quod & de diffinitione; cùm præſertim non modò differentiæ, ſed nec alii cuiuis prædicabili vera diffinitio aſsignari queat, quam realium entiũ duntaxat eſse tenemus. Entium autem rationis non niſi per accidens, ut in prima concluſione exarauimus. Quapropter ſciendum eſt, quòd agente Porphy. de Differentia, vt unum prẹdicabile eſt, ab aliis quatuor diſtinctum, non eſt illius ut ſic conſideratæ diffinitio aſsignata, quanquam uariæ traditẹ ſint.

Dicet fortaſse quiſpiam, in ſecunda eiuſdem differentiẹ diffinitione hoc fuiſse completum. (de prima nanquam nemo ſanæ mentis uir hoc affirmare contendet.) Porphy. enim in ea ſecunda differentiam ut tertium prẹdicabile contemplatus, eam ſic diffiniuit; Differentia eſt quẹ prẹdicatur de pluribus differentibus ſpecie in quale. Inſtatur tamen, quia illa eſt uera diffinitio uèl deſcriptio, quæ ſoli *Obiectio* *Solutio.*

diffinito

diffinito vel deſcripto cōpetit. Sed hęc cōpetit alteri à diffinito; ergo uera non eſt. Probatur minor: quia hæc deſcriptio Proprio competit, & Accidenti; utrumq; enim eſt prædicabile de pluribus differentibus ſpecie in quale. Quid ſi de Proprio, quod eſt cum ſpecie conuertibile, probari hoc non poſsit; quia illud non de differentibus ſpecie, ſed numero prædicatur; hoc ueruntamen de proprio generis ut de bipede, greſſibile, uolatile &c. reſpectu animalis negari non poſſe aſſeremus; nec præterea de quocunq. accidente, uel ſeparabile ſit illud uel inſeparabile. Ratio huius eſt: quia quædam particula in hac ſecunda diffinitione deeſt, qua oſtendatur differentiam in quale ſubſtantiale, non in quale ſimpliciter, prædicari; ob hoc ſuſpicamur, nonnullos caſtigatiores textus non uera traductione germanaq. tranſcriptos differentiam non in quale ſolùm prædicari, ſed in quale quid, legi. At communes diuerſarumq. etiam interpretationum textus, Quale, abſq. adictione legunt, inter quos fidem non contemnendam Ammonius & Boetius (ut innumeros alios Latinos omittamus) reddunt. Vidit contra Porphy. hanc difficultatem Reuerendiſſ. Caietanus; ideo uolens diminutam à Porphy. traditam diffinitionem tueri, dixit, quòd debebat dici differentiam prædicari in quale eſſentiale: at hæc particula, Eſſentiale, tanquam per ſe nota & ſubintelligenda fuit omiſſa. Verùm hęc defenſio (ut iudicamus) nulla eſt: quoniam partes ad complendam diffinitionem neceſsariæ, quarum defectu uariæ oriuntur difficultates, nullo argumento derelinqui debent, & præſertim illæ (cuiuſmodi hæc eſt hoc loco omiſſa) quę ſunt ueluti diffinitionum completiuæ formę, & quibus diffinitum, à quocunq; alio quod ſit penitus differens, rationem habeat. Fortaſsis (ut nos imaginamur) excuſatione eſset Porphy. maio-

Caietani pro porphy. defenſio.

Confutatio.

re

re dignus,ſi omiſsis nonnullis ab hac aliis, in iſta diffinitione appoſitis partibus proceſſiſset, & congruentius eſset, ſi dixiſset, differentiam eſse quæ prędicatur de pluribus in quale quid, omiſso ly Differentibus ſpecie. & ſi neglexiſset etiam illud De pluribus. Nec negare poſsumus huius relictę particulę ſententiam,in pręcedentibus fuiſse expoſitam,quum dicebatur hanc differentiam eſse ſpecificam,per ſe,non ſuſcipientem magis & minus,diffinitionem ingredientem. Et in ſequentibus adhuc quum aſserebatur, quòd qui interius perſcrutantur,differentiam hanc reperient eſse, quæ ad ſubſtantiam & eſse rei conducit, cuius claſſis nulla aliarum differentiarum reperitur. Rei ergo neceſſitas exigebat, ut omnino illa particula in diffinitione differentiæ aſsumeretur, tanquam illa quę tota diffinitio perficiebatur,& qua diffinitum à quocũq. alio ſeiungebatur; quæ cùm ſit prętermiſsa, ſequitur,diffinitionem illam eſse mancam, ac propriam diffiniti naturam non explicauiſse.

Quod ſi dicatur, differentiam in diffinitionibus aliis fuiſse congrue diffinitam: Hoc,ultra quòd eſt falſum, non eſse contra nos,reſpondebimus; quia nos loquimur de differentia ut unum prædicabile aliis quatuor condiuiſum eſt; modò ut ſic in ſecunda diffinitione ſolummodò eſt eam Porphyr contemplatus; reliquę autem diffinitiones,differentiam uel ut genus, uel ut ſpeciem reſpicit, uel ut uarios parit effectus,perſcrutantur. *Obiecti ſolutio.*

Inſtabit aliquis,diffinitionem hanc ſecundam ex quinta perfici: quia in illa explicata eſt ea pars, quę ſecundę deficiebat,cùm dicitur,quòd differentia ad rei ſubſtantiam & eſse conducit. Sed dicemus,quòd & ſi hoc uerum eſt, hęc tamen diffinitio eſt ab illa nimium diuerſa. Requirebatur enim,quòd illa pro ea conſideratione qua differentia tractabatur, fuiſ- *Inſtantia.* *Reſponſio.*

ſet

ſet completè expedita,& illa diuerſo reſpectu ſimi liter. Nam ſi unius diffinitionis perfectio ab alia dependebat,ſatis incongrue factum uidebatur, illã aliam ſub nomine alterius numeratę diffinitionis fuiſſe aſſignatam · cùm unaquæq. diffinitio ob diuerſos diffiniti reſpectus per ſe allata ſit.

Reſolutio. Hinc corollarium ſequitur, nullam diffinitioné Differentię,ut prędicabile quoddam eſt, ſimpliciter competere,nec etiam ſi alio reſpectu, per ſe Differentia conſideretur. Nam prima diffinitio,ubi dicitur,differentiam eſse,qua ſpecies abundat à genere, competit cuicunq. differentiæ,communiter ſcilicet dictę,& propriè.& rurſus Proprio quarto prędicabili,ut intelligenti patet. Secunda, quòd prædicetur de pluribus differentibus ſpecie in quale, competit (ut dictum eſt) Proprio generico,& Accidenti. Tertia,quòd diuidat ea quæ ſub eodem genere ſunt,conuenit pariter Proprio,et duobus alijs Differentię ſignificatis. Quarta, quòd faciat differre; patet,quòd ex ui nominis cuicunq.Differentiæ (licèt non ſpecificæ) congruat. Quinta,quòd ad eſse conducat competit adhuc generi,et ſpeciei.

CON-

CONCLVSIO X.

Differentias, quæ communiter, quæ propriè, & quæ magis propriè dicuntur inter ſe differre, non diuerſas duntaxat eſſe. Aduerſus curioſos quoſdam.

QVęrunt nonnulli (quorum ſtudium circa inutilia quędam conſiſtit totum) poſt expletam differentię in tria ſignificata diuiſioné, cùm Porphy. in ipſo ſtatim principio dixerit, differentiã in communiter, propriè et magis propriè dictã diuidi; num ſit ipſa differentiæ vox per hæc tria mẽbra ſufficienter partita. Et arguunt, quòd non; quia hæ tres differentię ſignificationes inter ſeſe differunt, & tamen per nullam harum ſignificationum differunt; quia nec communiter, nec propriè nec magis propriè; ergo dabitur quarta ab iſtis differentia qua hæc inter ſe differant. *Quæſtio.*

Difficultatem hanc quidam Iunior paruipendens, unico quaſi verbo ſe ipſum uellet ab huiuſmodi dubitatione extricare, ac ſi obiter reſpondet, quòd iſtius dubij ſolutio ab Ariſt. 10. Metaphy. tex. 12. ſcribitur. Vbi docet, aliud eſſe differens, aliud verò diuerſum. Modò hæc tria differentiæ ſignificata ab ipſo Porphy. expoſita, quamuis diuerſa ſint, nihilo tamen minus nequaquam differunt. vnde nouo differentiæ diuiſionis mẽbro, quo *Aliorum determinatio.*

priora illa tria interdiſtinguantur, minimè egent.

Confutatio. Non poſſumus tantam profectò huius uiri alioqui ingenioſi negligentiam non uehementer admirari, qui uerba Ariſt. minimè contemplatus, illa contra propriam poſitionem adduxiſſe non animaduertit. Pro cuius intellectione ſciendum eſt, quòd oſtendens eo loco Ariſt. aliud eſſe diuerſum, aliud differens; docuit, quòd diuerſum ab eo à quo eſt diuerſum, non eſt aliquo diuerſum: At differens ab eo a quo eſt differens, eſt aliquo differens &c. Quod idem eſt, ac ſi diceret; quòd ea quę diuerſa ſunt, per ſe ipſa diuerſa ſunt non aliquo mediante: ſicuti ea quę ſunt eadem (nam eadem oppoſitorum eſt ratio) abſque aliquo medio eadem per ſe ſunt. Huius cauſa eſt, quia diuerſa in diuerſis reponuntur Prædicamentis, unde abſque alterius interuentu, vt diuerſa ſe gerunt, & conſiderantur. At ea quæ differunt, ob aliquod differũt, quemadmodum ea quæ conueniunt, (contrariorum enim ut diximus una diſciplina) in aliquo conueniunt, & in eodem collocantur prædicamento: & illud aliquod, quo differentia differunt, erit uel genus, uel ſpecies, uel numerus; qua ratione à planta animal, à Leone homo, à Platone Sortes differt. Verbis igitur Ariſt. ita ſe habentibus, qua ratione, quæſo, uir iſte affirmauit has differentiæ ſignificationes diuerſas eſſe, non autem differentes? quandoquidem ſub Differentia uniuerſaliſſimè ſumpta tanquã ſub uno communi genere, omnes reponuntur. quapropter ſpecie inter ſe differũt; & ſic non carent illo aliquo, quo ad hoc ut differentia, ſint differentia indigere Ariſt. 10. Metaphy. docebat. unde ſi ſpecies ullæ ſub aliquo communi genere poſitæ, inter ſe differentes non ſunt, nec hæ tres differentiæ ſignificationes differentes erunt; quum reſpectu differentiæ, quam nos uniuerſaliſſimam nuncupauimus, tanquam

quam differentes ſpecies,inter ſe diſtent;quod idem Porphy.non negauit,quando ante capitis medium hæc dixit,Cùm igitur tres ſpecies differentię conſiderentur &c.

Ob hoc dicamus nos,has differentię ſpecies eſſe differẽtes.Quãdo inquiũt ergo, Neceſſaria eſt quarta differẽtię ſpecies ; quia per nullam illarum triũ differũt:Hoc negamus;ſed autumamus, talẽ eã eſſe Differentię uniuerſaliſsimę ſpeciẽ,quę magis propria appellatur,eo pacto & modo quo eadem Differẽtia magis propria dicta, eſt cauſa qua quęuis ſpecies à quacunq; alia differat, & ut ſic id quod uocatur Differẽtia cõmunis,differt ab eo ꝙ uocatur Differentia propria,per differentiã magis propriã ſeu proprijſſimam. Pariter illud quod eſt Differẽtia cõmunis uel propria, differt ab illo quod eſt Differentia magis propria,per differentiam magis propriã adhuc,ut dicebamus. & ſic de cęteris.

Dubitatio. Sed obijciet aliquis,cùm Differentia magis propria ſit quæ non ſuſcipit magis & minus, ſit per ſe, ſit quę uniuſcuiuſque rationem complet, &c. quomodo verificabuntur hę conditiones,de Differentia hac à nobis admiſſa, qua Differentiam communem,a propria,& maximè propria differre aſſeruimus?Reſpõdemus, quòd qui ueritatem uelit intueri,hoc facillimè in ſingulis cognoſcet.Sic, quia uerbi gratia,hęc Differentia communiter accepta, non eſt magis differentia quàm hęc & illa alia differentia adhuc etiam communiter ſumpta;& hęc Differentia propria,nõ eſt intenſior differentia,quàm hęc & illa alia differentia ſimiliter propria ; & ita de proprijſſima ſeu magis propria, reſpectu aliarũ parium differentiarum magis propriarum ſentiendum eſt,quoniam ęquè omnibus illis ratio proprię ſpeciei,ſub Differentia uniuerſaliſſima poſitę congruit. Hinc ſaluatur, quòd hęc differentia, qua *Reſponſio.*

Differentię ſignificata differunt, non ſuſcipiat magis & minus. Quòd ſit per ſe,& rationem illius cuius eſt differentia compleat, patet;quia differentia communis per ſe predicatur de hac communi differentia, de illa communi differentia,de alia &c. & differentia communis complet rationem, & diffinitionem ingreditur huius differentię communis, illius diff. communis, alterius &c. Quod eodem modo dicendum eſt de propria,& magis propria;nam vnaquæque in ſpecie ſua de ſibi ſubiectis per ſe prædicatur;non ſecundum magis et minus, et propriorum ſubiectorum rationem complet. Et quoniam differentia magis propria facit aliud, non alterum ſolùm;ſic etiam forma ſeu modus differentię communis, ipſi differentiæ vniuerſaliſſimę et tanquam omnium differentiarum generi aduenienſ, facit quandam differentię ſpeciem communem dictam, aliam et penitus diuerſam, non duntaxat alteram, ab alia eiuſdem uniuerſaliſſimę ſpecie,nempe à propria ſiue magis propria. Et ita aſſerimus,de forma propriæ & proprijſsimæ ſeu magis proprię.

Obiectionis ſolutio. Inſtabit quiſpiam, quòd differentia magis propria maiorem differentiam infert ab illa quę communis,et propria nuncupatur. Reſpondemus, verum id eſſe de ratione propria et particulari, non de ratione communi et vniuerſali:quia ſub ratione qua differentia eſt,de cuius quidditate eſt quòd importet diuerſitatem, et faciat alterum; æquè differentia dicitur ea quæ eſt magis propria, et illa quę propria, et quæ communis; animalitas enim æque ab homine, & muſca participatur;& ſi ille perfectiſſimam ſpecierum importet, iſta imperfectam, diuerſiſſimasq́;inter ſe ſortiantur conſiderationes.

CONCLV-

CONCLVSIO XI.

Qui differentiam propriè dictam, (quemadmodum illa quæ communiter dicitur, accidens infert) Proprium quartum prædicabile importare aſſerunt, toto aberrant cælo. Ignoſcant viri omni obſeruatione colendiſsimi.

Caietani & aliorũ opinio.

NOn deſunt qui affirment, Differentiam in vniuerſali ſumptam, & vt illam primò diuidit Porphy. prædicabilia tria ſuo ambitu continere. cùm enim illam, in differentiam communiter dictam, propriè, & magis propriè diuiſam uideãt. Differentiam communem eſſe Accidens, quod quintũ pręclicabile importat; propriã quartũ prædicabile Propriũ dictũ; & magis propria, tertiũ hoc de Differentia inſcriptum aſſerunt. Hanc opinionem(ut Burleum, bonum Iauellum, ac Terminiſtas quàmplures interim omittamus) Reuerendiſſ. Cardinalis Caietanus acerrimi profectò iudicij vir ſubſtinere videtur: vt ex doctiſſimis illius commẽtarijs in Porphy. colligi licet. Habet ſiquidem in fine expoſitionis primi textus capitis de Differentia hæc: Differen „ tia propriè dicitur, quia cauſatur ex his rebus, quæ „

„ proprietates ſunt aliquarum rerum, vt ridere, & „ mugire; vel partium earum, vt cœcitas, & ſurditas,&c. Ex his verbis & exemplis patet illum, per differentiam propriè dictam, intellexiſſe verum quartum prædicabile; nanque homini riſus, mugitusq; boui, proprium vt quartum prædicabile eſt, dicitur quòd conueniat. Eadem ferè verba habet in ſecundi textus expoſitione; innuens, quòd riſibile, & rudibile ſub differentia propriè dicta reponantur. Ibidem Reuerendiſs. inquit, quòd differentię intentiones, diſtinguuntur ſecundùm modos quibus unum ab alio differt, qui ſunt tres: nam aut res differunt per eſſentialia, aut per proprietates, aut per accidentalia: & per proprietates, ea intelligit attributa quæ in prædicabile de Proprio collocantur. Rurſus ibidem exemplificans de tribus differentijs, inquit, ut Rationale, Riſibile, Albedo: per primum differentiam magis propriam; per ſecundum, propriam, per tertium, communem inſinuans. Præterea in expoſitione tertia, aſſerit cum Magno Alberto, quòd diuidens iterum Porphy. differentiam in eam quæ eſt per ſe, & quæ per accidens, ly, Per ſe, intelligitur (inquit) ſtrictiùs, quum velit differentiam magis propriè duntaxat dici per ſe; quoniam Ariſt. in primo Poſt. proprium ipſum, vocauit prędicatum per ſe, quod hìc à Porphy. differentia per accidens appellatur. Ergo per differentiam propriè ſumptam, quartum prædicabile intellexit. Sed quid moramur multis? hæc poſitio in vniuerſa eius commentarij ſerie comprobatur.

Confutatio. Dogma iſtud nobis quidem, pace tantorum cinerum, arridere nunquam potuit: quinimo, & rationes & authoritates Differentiam propriè dictā nō eſſe aliquo pacto propriū qđ in quarto Prędicabili locatur, ſubſtinere nos cogunt. & quòd tantùm uel huius differentiæ nomen, quo propria nuncupatur;

patur;vel ab eo quòd eidem inſeparabilitas ineſt, vt eandem differentiam eam eſſe,qua de in quarto Prædicabili agitur, viri circumſpectiſſimi autumarent, oblata fuit occaſio. Ad cuius rei dilucidationem;quoniam ſibi veritas vndequaque conſtat & nulla poteſt ratione mutari,videamus quomodo ſibi ipſi hac in re ſit inconſtans Reuerendiſs. Habet enim ipſe expoſitione ſecunda huius capitis de differentia; quòd nigredo dicitur differentia propria reſpectu corui & carbonis. & tamen ipſe cum Porphy. in cap. de Accidente,agentes de inſeparabili accidente, & illius exempla ponentes, inquiunt accidens inſeparabile eſſe,vt nigredo reſpectu corui,& Aethiopis. Modò ſi per Cardinalem in cap. de Differentia, nigredo reſpectu corui dicit differentiam propriam,quæ quidem per eundem, proprium importat in quarto Prædicabili tractatum; quomodo authoritate Porphy. ductus in capite de Accidente, pariter & vir ille Peripateticus accidens inſeparabile eſſe nigredinē in coruo aſſeruit? Neq; hìc difficultas nobis offertur,qua de exemplorum ſimilitudine diſputemus,cùm eadem formaliter aſſignentur. Præterea ibidem paulò ſuperiùs,quoniā dixerat Porphy. differentiam communem, & propriam facere ſolùm alterum; magis propriam vero aliud: animaduertendum monet Reuerendiſs. quòd differt dicere, facere aliud, & inferre aliud,in hoc quòd differentia magis propria facit aliud: Effectus autem eiuſdem differentiæ, & ſi non facit,infert aliud. Et exemplificat; quòd riſibile & rudibile inferunt aliud; quia inferunt differentiam, ſecundùm rationale & irrationale. Si igitur proprium quarto modo ſumptum(cuiuſmodi eſt riſibile & rudibile reſpectu hominis & aſini) infert aliud,quomodo poteſt eſſe ea differentia, quæ propria appellatur:cùm de ratione talis differentię ſit,

Caietanus ſibi non conſtat.

Prima ratio.

Secunda ratio.

quòd faciat alterum ut infinitiés replicat Porphy.? Non enim uidetur congruum, quòd illud quod reſpectu alicuius infert alietatem, reſpectu eiuſdem per alteritatem differat. Riſibilitas enim quæ hominis à Leone alietatem infert; non uidemus quomodo poſſit alteritatem eiuſdem ab eodem facere quòd ſi facit, eo modo facit, quo & differentia ipſa magis propria, rationalitas nimirum, ideſt cum conditione hac, Non ſolùm. quandoquidem & ſi rationalitas cauſa alteritatis hominis à Leone ſit, non tamē alteritatis ſolùm cauſa eſt, ſed etiā alietatis; & hoc, quoniam alietas alteritatem, ut communius quoddam, ſemper præſupponit. Cùm ergo de ratione Proprij ſit, cùm hoc quòd faciat alterum, inferre quoque aliud; nullo modo proprium erit id, quod Differentia propriè nuncupatur, quippe quę alterum duntaxat parere apta nata ſit, nullam alietatis rationem ſapiens.

Tertia ratio. Vlterius, idem Reuerendiſſ. continuans caput de Proprio ad præcedentia; inquit, rationabiliter quartum locū eumque illo Accidentis digniorem illud ſibi uendicaſſe: quia Proprium, ex principijs ſpeciei, genere ſcilicet, & differentia, poſt conſtitutam ſpeciem immediatè emanat. quod idem Doctor in capite de Accidente confirmans, ait, Proprium prędicatum eſſentiale eſſe; quia à principijs ſubiecti eſſentialibus fluit. & ſubdens poſtmodum inquit, Accidens quintum prędicabile, importat accidens indiuidui, Proprium uerò, accidens ſpeciei. Ad hominem igitur argumentantes diſcutiamus, an cùm Proprium ex talibus oriatur principiis, poſſit eſſe id quod à Porphy. Differentia propria appellatur. At hoc tunc fiet manifeſtum, quum ratio differentię ſic dictæ, in medium afferetur. Eia ergo contemplemur, quomodo illam deſcribat Porphy. en uerba ipſius deſcribentis, talemq; differentiam decla

rantis

rantis iſthæc ſunt formalia Propriè autem differre „ alterum ab altero dicitur, quando inſeparabili ac- „ cidente, ab altero alterum differt. Inſeparabile ue- „ rò accidens eſt, ut naſi curuitas , cęcitas oculorum, „ cicatrix cùm ex uulnere occalluerit . Dicat , igitur „ nunc tanti viri præſtantia, an ratio Proprii, ut quar tum prædicabile eſt, & ut unum tertii prædicabilis, nempe Differentiæ membrum, eadem ſit? an fortè eadem ſint exempla? At ratio quidem unius longè ab ea alterius diuerſiſſima eſt. Cùm Proprium, per eundem Cardinalem ex intrinſecis ſpeciei principiis emanet; Differentia uerò propria ex inſeparabili profluat accidente: aliud enim, noſtro iudicio, eſt à principiis ſubſtantialibus cuiuſmodi ea ſpeciei ſunt, aliud ab accidente , & ſi inſeparabile ſit, oriri. Exẽpla verò eorundem ſatis eſſe uaria quis ibit inficias? quum Proprium prædicabile, riſibile in homine ponat; Differentia uer ò propria , ex uulnere cicatricem: illud ex rationalitate, ſpecifica hominis differentia originem ducat; hæc ex extraneo adueniente uulnere , ſpeciem potius infeſtante (tantùm abeſt quòd ex ipſius ortum trahat principiis) proueniat: illud formam ſiue differentiam tanquam ab ea reſultans effectus ; hæc formæ potius interitum arguat. Nulli ergo dubium fieri poſſe arbitramur , ſibi ipſi Reuerendiſs. de Vio. contradixiſſe atque hac in parte ueritatis ſcopum minimè attigiſſe , licèt totis eum neruis admodùm doctus Theologus Dominicanus , Paulus Gallus , concionator nemini ſecundus , noſterque amiciſſimus defendere conetur. *Paulus Gallus.*

Corollarium quoddam ex his excerpere licet. Proprium eſſe quodammodo medium inter Differentiam , & Accidens : Sub conſideratione enim qua conſtitutæ ſpeciei aduenit (cuiuſmodi non eſt ipſa Differentia, quum ipſa ſit ſpeciem conſtituens) *Notãdũ pro uera poſitione*

acci-

accidens dicitur; ſub conſideratione autem qua ex principijs ſpeciei oritur, atq; ab ipſa differentia pullulat, (cuiuſmodi non eſt Accidens, quod extrinſecùs aduenit) habet aliquam differentiæ rationem: nam ut ſic Proprium naturam ſequitur ſpecificam, neceſſariamq; obtinet cauſam; accidẽs uerò, ut plurimum indiuiduum inſequitur: quò fit, ut neceſſariam cauſam habere non poſſit.

Probatio prima. Quòd autẽ poſitionem hanc noſtram ueritas ipſa protegat, eà adhuc demonſtrant, quæ Porphy. tum hoc capite de Differentia, tum eo de Proprio, & Accidẽte in medium attulit. Habet enim in cap. de Differentia, ultra ea quæ retulimus, circa Differentiæ propriæ deſcriptionem quòd ſecundum differentias facientes alterum (quemadmodum eſt ea „ quæ propria dicitur) non fiunt diffinitiones, Sed al„ terationes ſolũ cõſiſtũt & aliquo modo ſe habendi „ permutationes. At Propriũ, ut quartum eſt prædicabile, quòd alterationem in eo cuius eſt proprium, & aliqualem permutationem dumtaxat cauſet, ſatis uidetur abſurdum: quandoquidem illa quæ hos tantùm pariunt effectus, meri accidentis ſimplicem naturam redolent. Proprium autem, eam etiam generis, & ſpeciei ſuapte natura ſapit (ut conſtat.) Quod rurſus intelligens Porphy. in diuiſione Differentiæ quarta, inquit, differentias ſecundum accidens, in quarum numero propria etiam reponitur, in ſubſtantiæ ratione non accipi, ſed ſolùm alterũ facere.

Secunda. Amplius, & hac ratione probatur, Propriũ quartum prædicabile, ſi ſub differentiæ ſignificationibus comprehendendum eſſet, illud profectò eſſe ſub differentia magis propriè dicta, tantùm ab eſt quòd ſit differentia propria. Volens enim Porphy. oſtendere uarietatem, quæ erat inter differentiam propriam, & magis propriam; quoniam in hoc con-

uenerint, quòd utraq; dicebatur inſeparabilis, dixit, quòd quædam differentia eſt inſeparabilis per ſe, quædam per accidens: aſſignans autem exempla differentiæ inſeparabilis per ſe, dixit: Nam rationa „ le, per ſe ineſt homini; & mortale, & diſciplinę eſſe „ perceptibile. Modò quærimus, ly, Diſciplinę perceptibile, quomodo ineſt homini, an ut differentia, an ut proprium, an ut accidens? Non ut accidens: quia textus dicit, quòd ineſt per ſe: non ut differentia; quia hominis differẽtia eſt rationalitas & mortalitas: relinquitur igitur, quòd ut proprium, eo modo quo eidem riſibilitas ineſt. Probatur: quia homini, eſſe diſciplinæ perceptibile, competit omni, ſoli, & ſemper: quę Proprii, ut eſt quartum prædicabile, conditiones ſunt. Cùm ergo ſit proprium & à Porphy. repbnatur inter eas differentias quæ per ſe faciunt differre, cuiuſmodi non ſunt uel communiter, uel proprie dictæ differentiæ; ergo proprium nullo modo intelligitur à Porphy. ſub Differentia propriè dicta, quinimò ſub magis propria. Illa autem, „ (ſequitur Porphy.) quę per ſe non inſunt, & ſi ſunt „ inſeparabilia, quæ ſupponunt differẽtiam propriã; „ ſunt, inquit, ut aquilum eſſe uel ſimum, quæ per ac- „ cidens naſo eueniunt; quòd autem, eſſe diſciplinæ perceptibile, homini ut proprium competat, per Ariſtotil. probatur qui primo Topic capit. quarto exemplificans de proprio cùm de eo agit, hęc formaliter ſcribit: Proprium eſt hominis, Grammati- „ ces eſse ſuſceptiuum. Nam ſi homo eſt, & Gramma „ tices ſuſceptibilis eſt: & ſi Grammatices ſuſceptiuũ eſt, homo eſt. Clariſsimè ergo ex Ariſtotelicis uerbis liquet, quòd diſciplinæ eſſe perceptibile, ſit homini proprium, formaliterque fuit hoc exemplum in ore Porphy. ut dictum eſt.

Inſuper ſubdit idem Porphy. aliam diuerſitatem *Tertia.* inter differentias per ſe, & per accidens; inquiens, illas

illas non ſuſcipere magis & minus,has verò ſic; vt aquilū,magis aquilū;ſimū,magis ſimū &c. & hæ Differentiæ magis & minus ſuſcipiētes, per accidens dictæ,ſunt quæ propriè appellātur;quoniā tales ſunt inſeparabiles. Sed ſic eſt, quòd Proprium, ut eſt quartum prædicabile,non dicit, neque ſuſcipit magis & minus: quia riſibilitas æquè competit huic homini Petro, & illi Hieronymo, & ſic cuicunque homini,nec magis uni & minus alteri, licèt ipſe ridendi actus poſſit dici quòd magis competat Hieronymo,quàm Petro, quanquam fratri, vnde non ineptè dicebat Burleus,ridere eſſe proprium hominis primo modo dictum; riſibile verò quarto modo. Cùm ergo riſibilitas, ut potentiam importat, magis & minus ſuſcipere nequeat; conſequitur, quòd inter Differentias per ſe, intenſionem & remiſſionem non admittentes,collocetur: at Differentiæ huiuſmodi ſunt quæ magis propriè nominantur, non propriè:ergo Proprium, ut quartum prædicabile, nullo modo dicetur eſſe id, quod per differentiam propriam uoluit innuere Porphy. ut omnes ferè imaginati ſunt.

Quarta. Poſtremò & hoc(ni fallimur) demonſtrationis vim habere videtur. à Porphy. quamuis Differentiam(magis propria excepta quam per ſe eſſe aſſerit) illi cui aduenit, per accidens aduenire affirmatur. cuius farinæ quòd ſit & differentia propriè dicta,& communiter, cui uis clariſſimè ſit obuiam: ſed Proprium, vt quartum prędicabile ſupponit, illi cui ineſt,nullo pacto per accidens ineſt, ſed per ſe; ergo Proprium ut quartum prædicabile, impoſſibile eſt quòd ſit illud, quod Differentia propria nuncupatur. Minor lucidiſſimis verbis ab Ariſt. primo Poſt. tex. com.31 ſcribitur.vbi de ijs agens, quæ per ſe dicuntur, modis: ſecundum per ſe modum eſſe aſſerit, quando proprium illi, cuius eſt

pro-

proprium, ineſt: adeò quòd proprium per ſe ſuæ ſpeciei ineſt, per ſecundum perſeitatis modum. Cùm igitur iſthæc ſit veritas, quo pacto proprium eſſe differentiam propriè appellatam determinari poteſt? talis enim (ut totius capitis Porphy. ſeries inſinuat) illi, cuius differentia propria eſt, per accidens ineſt; quid multis?

Quinta. Tandem, ſi ea quæ in cap. quarto, quod Proprio dicatum eſt, Porphy. docet rimari velimus, Proprium eſſe idem quod Differentia propria, nequaquam affirmare poterimus. Proprium enim (vt inde & ex primo Topic. cap. quarto ab Ariſt. docemur) illud eſt, quod ſoli ſpeciei, omni contento ſub illa ſpecie, & quauis temporis differentia competit: & hæc eſt Proprij quarto modo dicti quidditas. At ea, quæ differentiam propriam arguunt, tantùm abeſt quòd huiuſmodi conditiones ab illa ſortiantur, ut penitus diuerſa ſint à talis differentię natura: ergo id quod priùs. Si enim cęcitas, & cicatrix propria eſſent, cur non omnibus hominibus, ſolis & ſemper euenirent?

Dubitatio. Dicet fortaſſe quiſpiam: Quum Proprium quatuor dicatur modis, ſi de eo quod quarto modo dicitur verificari non poterit, quod ſit Differentia propria; num de tribus aliis Proprii ſignificatis affirmari hoc poſſit? *Reſpõſio* Reſpondemus neque hoc tutò ſuſtineri poſſe, ut rationes et exempla, quæ in ſingulo Proprii ſignificato apponenda curauit Porphy. Argumentari poſſunt; Ea enim, & ſi ſingula, Proprii quarto modo dicti naturam minimè ſapiunt; in ſeipſa nihilominus continent quid, cum illis quibus inſunt, peculiare & intrinſecum; quod non videtur ab illorum ratione ſicuti cætera accidentia penitus extraneum. Nam tam Geometria,

quàm

quàm bipedalitas, quam etiam in ſenectute canicies, quæ triplicis in Proprio diuerſitatis formam oſtendunt (illo ſepoſito quodquod quarto modo dictum cęteris longè præſtantius eſt) reſpectu hominis cui habent ineſſe, quid important maximè peculiare, nec prorſus ab hominis natura alienum: cuiuſmodi ea ſunt quę ſub Differētia propriè dicta continentur; unde nunquam nobis, Proprium uel ſaltem illud, quod quarto modo dicitur, habere naturam differentiæ propriè dictę, arridere potuit. & forſan (ut iam iam retulimus nec alia Proprij ſignificata Quod hinc nobis perſuaſum eſſe rationabiliter demonſtrabimus: quoniam aptiùs, & commodè quidem ſatis, Differentia iſthęc qua de propoſita habita eſt diſputatio, ad Accidentis caput reduci videtur, ceù illius prędicabilis interpretatio nobis enucleat. Ibi nanque Porphy. diuidens accidens in ſeparabile & inſeparabile; ea ſub accidente inſeparabili reponit, quæ iam ſub Differentia propriè dicta ſunt collocata (ut ſuperiùs retulimus) quādoquidē, non nobiliori, ſeu firmiori inhæſionis modo naſo ineſt ſimitas, & aquilinitas; oculo cæcitas, uulneri ſeu ſuperficiei cicatrix; quæ omnia, Differentię propriè dictæ ſunt à Porphy. nuncupatę; quàm inſit coruo, uel Aethiopi nigredo. quæ accidentia inſeparabilia ab eodem dicuntur; ob quod illa in Proprij, hęc in Accidentis caput ſint referenda; immo (ut cuiuis patet) ęquè illa ac iſta quibus inhærent ſubiectis eueniunt; unde hæc & illa in uno eodemque loco ac prædicabili collocari debent ſatis rationabiliter. Cùm igitur iſta inter accidentia inſeparabiliter euenientia connumerentur, & illa inter eadem pariter recipi debent, & nullo pacto inter Propria, vel aliquas Proprij ſignificationes: uel ob hoc maxime, quòd ab ipſo principio ad calcem uſque capitis de Differentia, illas

Notādū.

diffe-

differentias quæ propriè dicuntur, per accidens differentiæ perpetuò nominentur, ut eius capitis lectionem intuentibus luce clarius fiet manifeſtum. Parcant igitur uiri iſti alioquin doctiſſimi, ſi illorum circa hanc materiam doctrinam ſubſtinere noluimus, aliorumque hallucinationes ſpreuimus. Nec tacere uoluimus, uerbum nequidem vnum ex diſertiſſimis Ammonij,& Boetij commentarijs facilè colligi, quod noſtræ huic poſitioni refragetur: immo ex vniuerſo illorum diſcurſu habetur, quòd Differentia propriè dicta, ſit differentia per accidens: ut exempla quæ ab illis ad differentiam propriam propalandam ſępiſſimè adducuntur, indicant: quæ omnia ad Accidentis prædicabile, eiuſdemque inſeparabile ſignificatum reducenda ueniunt.

CONCLVSIO XII.

Differentiam quadrifariam diſtinguendam, diminutè Porphy. trifariam diuiſit.

PRęſentis in præcedente propoſitione iacta ſunt principia; quoniam quidem, in illa diffusè nimium declaratum fuit, quòd Differētia quæ propria dicebatur, non ſupponebat, neque illud Proprium quod in quarto capite tanquam vnum ex quinque prædicabilibus reponebatur intelligebat; remanet etiam quodam conſequio expoſitum, illud differentiæ ſignificatum, quo unum ab alio, mediante pro-

CONCLVSIO XIII.

Differentiã ultimam, ex tertio quem includit actu ſortiri, quo minus uera differentia dici poßit, qui aſſerunt, errore detineri uidentur. Parcat Albertus vere Magnus.

QVæri ab omnibus aſſolet expoſitoribus, differentiæ diffinitionem, in qua ut vniuerſale & prædicabile quoddam diffinitur, excutientibus; qua ratione dictum à Porphy ſit, illam de differentibus ſpecie prędicari; cùm diffinito iſthæc diffinitio non ęquetur. Dantur enim differentiæ plurimæ, quinimmo infinitę, quę non niſi de ſingulis ſpeciebus quarum conſtitutiuæ ſunt, prædicantur: cuiuſmodi illę ſunt quæ ultimæ nuncupantur, & quæ cum proprijs conſtitutis ſpeciebus conuertuntur. Albertus ſpreta illorum reſponſione, qui aſſerunt, eo loco à Porphy. differentias duntaxat nobis notas diffinitas eſſe; cuiuſmodi illæ ſunt, quę de differentibus ſpecie prædicantur; nullo autem pacto illæ quæ nobis non innoteſcunt, ultimæ nimirum, quæ non niſi de una ſola, quam conſtituunt, ſpecie dicuntur; quæ quomodo ignotę ſint, multis ibi monſtrant expoſitores; omiſſa (inquam) ab Alberto hac reſponſione, nouam, quam imaginatus eſt in medium affert. pro qua ſupponit de ratione ueræ differentiæ eſſe, quòd duos edat *Alberti poſitio.*

H effectu;

rius poſſet inquiſitio progredi, quare illæ differentię, quæ, ea quorum differentiæ ſunt, ad naturam athomam & indiuiſibilem reducunt, differentiæ diffinitione non clauduntur? Et uidetur, quòd Alberti reſponſio ſit potius dubitationis expoſitio; quia ob hoc differentia vltima de una ſola ſpecie prædicatur; quoniam eandem ad athomam, indiuidualem & unicam naturam determinat: & rurſus ob hoc ultima differentia, ad athomam naturam reducit id, cuius eſt differentia; quia de una ſola ſpecie dicitur. & ſic ex hac uerborum circumulocutione ſequitur, differentiam ultimam ideo de differentibus ſpecie non prædicari, quia prædicatur de una ſola ſpecie; unde remanet inſoluta dubitatio: quum idem ſit dicere, cur differentia ultima prædicatur de una ſola ſpecie; & reſpondere, quia tertium præexpoſitum actum includit: immo de una ſola ſpecie prædicari, tertij illius actus incluſionem neceſſariò arguit: atque huiuſmodi reſponſio magno uiro profectò indigna cenſebitur. Pręterea, eſtò, quòd tertius hic actus cauſa ſit ſufficiens, qua ultimæ differentiæ, diffinitionem differentiæ in uniuerſali ſumptæ ingredi nequeant; ſequetur, quòd nec etiam differentiæ non ultimæ, eadem diffinitione gaudebunt. Probatur ſequela: quia differentiæ non ultimæ, eundem tertium actum includunt cum prioribus duobus; quia reducunt ea, quorum differentię ſunt, ad naturam athomam, & indiuiſibilem, non minus quàm ultimę. quandoquidem, eo pacto quo differentia hominis ultima nobis ignota, uel rationalitas, (concedatur pro nunc rationalitatem eſſe ultimam hominis differentiam) habet primum actum, quo animal diuidit: ſecundum, quo hominem conſtituit; & tertium quo hominem ad quandam naturam cęteris

incommunicabilem reducit,unde athoma &indiuiſibilis appellatur:eodem pacto(cęteris paribus)ſenſitiuum quod differentia non ultima dicitur; primũ habet actum,quo animatum corpus diuidit;ſecundum,quo animal conſtituit;& tertium,quo idipſum animal ad quandam naturam quæ alijs communicari non poteſt,determinat. Ac ſicuti rationalitatis tertij actus in homine munus erat, quòd nullum aliud animal ab homine rationalitatem participaret; & nulli ab homine hæc rationalitatis natura poterat communicari; unde athoma dicta eſt;pariter & ſenſitiui tertij actus munus in animali exercetur; quando ob ipſum nulla alia res ab animali ſenſationem participat: & nulli ab animali ſenſitiui natura,communicari poteſt quæ, quia hac ſenſationis differentia clauditur,poterit athoma dici; quoniam non ſenſitiuis incommunicabilis eſt. (ſeruato ſimili cęteris paribus reſpectu.)

Obiectio. Dicet quiſpiam, tertium hunc differentiæ ultimæ actum,id cuius eſt differentia,ad ſpecificam cogere naturam; cui de pluribus ſpeciebus prędicatio repugnat:quod non eſt in ijs differentijs, quæ ſunt non ultimæ,quæ propria conſtituta,non ad ſpecificam ſed potius genericam ac uniuerſaliorem naturam determinant.

Solutio. Reſpondemus,hoc ultimæ differentiæ contingere,non ſub ratione qua uel differẽtia eſt,uel differentia ultima;ſed per accidens: quia ſcilicet eſt ſpeciei conſtitutiua.Nam ueritas hæc eſt, quòd differentia ipſa abſolutè, hos tres iam dictos ſortitur actus:& ſit talis differentia quæuis,ſiue ultima ſiue non ultima, quòd ſcilicet aliquod ſuperius diuidat, aliquod inferius conſtituat; & quòd illud conſtitutum ad naturam quãdam alijs non communicabilem contrahat. Modò, ſi tale conſtitutum eſt ſpecies, illud differentia ad ſpecificum eſſe ſolùm coarctat, ijs duntaxat quæ ſub illa ſpecie exiſtunt

com-

communicatum,& nullo pacto extraneis,& ſub alia ſpecie contentis: ſi uerò illud ſpecies ſubalterna ſit quod conſtituitur, quæ & genus etiam dici poteſt, differentia ipſa conſtituens, idem genus ad eſſe tale genericum reducit; ijs quæ ſub illo genere ſunt, duntaxat communicatum;& nullo pacto alijs ab illo genere, uel ſub diuerſo genere contentis. Et ut ſic ſeruata paritate circa conſtitutorum naturas, comparatio currit; uel enim illa, ſpecies ſint, uel genera; circa eadem, differentia propria conſtitutiua tres omnes illos actus exercet. & eo pacto quo tertius (de quo agitur) actus, conſtitutarum ſpecierum naturis competit, eodem & aliis, modo & ordine ſeruatis, ut dictum iam eſt.

Obiecti dilutio. Nec ualet obiicere, quòd ex hoc non ſequitur quin illud quod à Differentia vltima conſtituitur, de unica ſpecie tantùm eandem differentiam non habeat enũciatam,& quòd non vltimæ differentiæ de pluribus ſpeciebus prædicentur; quoniam hoc non prouenit ex tertio actu in illa incluſo, & ab iſtis reiecto, ut Albertus cenſebat; quando tres omnes, quibuſuis differentiis competere declarauimus; ſed per accidens,& quia ultima differentia eſt ultima, & quod eſt ultimum aliud ſub ſe quod magis ſit ultimum non habet. Quemadmodum cœlo ſub ratione qua corpus eſt, non repugnat quòd ſit corruptibile; at ſub conſideratione qua tale corpus, nempe cęleſte, impoſſibile eſt quòd corrumpatur. Et ſic patet, non adeò neceſſarium illorum rationem eſſe, qui differentias ultimas ob hoc non eſſe diffinitas aſſerunt; quia quandam liam conditionem, extra uerarum differentiarum rationem ſibi uendicant, nempe tertium illum actum; tum quia talis actus duobus primis non derogat, ut acutiſſimus Caietanus prodat: tum quia

in talis cauſę aſſignatione, nulla dubitationis elucet ſolutio, quin potiùs petitio in principio committitur; ut nos declarauimus: Tum etiam, quia talis actus à differentijs non ultimis etiam includitur, ut poſtremò loco exarauimus.

Quid de principali quæſito. Quomodo autem dubitatio illa ſoluatur, qua quęritur, Vtrum differentię ſecunda diffinitio, qua, ut uniuerſale tertium & prędicabile diffinitur, cuicunque Differentię competat; quia de ultimis uidetur quòd affirmari non poſſit; quia tales de differentibus ſpecie non prędicantur, ad pręſentem propoſitionem declarare non attinet; cui, tantum oſtendere congruit falſam eſſe illorum reſponſionem qua ob id, quia ultimæ differentiæ tertium quendam actum ab alijs non ultimis minimè contentum includunt, factum eſſe quo minus illæ ultimę, diffinitionem Differentię ingrediantur, abſolutè ſanciunt. Tenemus nos attamen ueram eſſe eam reſolutionem quæ ab Alberto refellitur; quòd ſcilicet Porphy. Differentias nobis notas duntaxat diffiniuit; ultimæ uerò, quia nobis non innoteſcunt, diffinitionẽ illam ſapere non poſſunt.

Porphyrius mancus. Nihilo tamen minus diſſimulare non poſſumus, quin Porphy. Philoſophi oculatiſſimi prudentiam non admiremur; debebat enim uel unum ſaltem uerbum de ultimis differentijs facere; quum pręſertim omnium aliarum longè nobiliſſimę ſint, quibus tantùm proprius uerusque in rerum diffinitiones ingreſſus conceſſus eſt; & quę perfectiſſimis potiſſimiſque demonſtrationibus aditus referant; quarum fortè ignoratio cauſa eſt præcipua, qua uerę demonſtrationes nobiliſſimis tot conditionibus inſignitas, quot in primo Poſter. docet Ariſtotel. minimè erigantur; unde deſiderio multò magis quàm perfectioni re-

Cur potiſſimæ demonſtrationes potius deſiderentur unquàm fiant.

perfectioni reſpondent. Sed de hoc aliàs.

Vera etiã nobis uidetur, ac ſatis quæſito faciens quæ à Reuerendiſsimo Caietano affertur reſponſio; quòd ſcilicet prædicari de pluribus differentibus ſpecie cuicunque differentiæ ſub ratione qua differentia eſt, competit: & ſic differentiæ etiam ultimæ de differentibus ſpecie prædicari poſſunt; quando hoc illis ſub conſideratione qua differentiæ ſunt minime repugnat: Bene tamen qua ultimæ ſunt, iuxta illam propoſitionem & regulam, Quicquid competit ſuperiori ex natura communi, & repugnat inferiori ex ratione propria, prædicatur de eo inferiori, cum ſpecificatione tamen naturę ſuperioris. ut acutè ſatis a Reuerendiſs. exponitur, ad quem lectores remittimus. Et quòd hæc ſit veritas, exemplo logicę adhuc facultatis comprobamus. Clarum enim eſt, ſpeciem de pluribus numero differentibus prædicari: at plures reperiuntur ſpecies de unico enunciatę indiuiduo, cuiuſmodi Phænicem eſse inquiunt: & Intelligentiarum, corporumq; cœleſtium ſunt ſpecies, quarum vnaquęq; de ſimplici prędicatur ſuppoſito: nec ex hoc vera & quidditatiua ſpecierum carebunt ratione: quia ſi de pluribus non prędicantur, quòd prædicentur nil repugnat: ac ſi diceremus, quòd ſi non actu, potentia tamen prędicãtur, quę potentia cùm logica ſit, in actu exercito prodire non cogitur; ſed meram ſupponit non repugnantiam. Idque quęſito noſtro de ultimis differentijs congruè aptari poteſt.

Caietani determinatio.

Plures ſpecies de unico ſuppoſito dici.

Cunctabitur hìc Iuuenis, unde hoc, quòd huiuſmodi ultimæ differentiæ nobis ſint ignotę. Sed altiorem requirit hęc perſcrutatio intelligentiam, quæ logicales omnes excedit limites. Sat ſit propterea incipiẽtibus, id ut ueriſſimũ ſupponere dogma: cui & priſci & neoterici tum Philoſophi, tum etiam Medici ſubſcribunt, inter quos ętate poſtremum,

De ultimarum diff. ignoratione.

ſed inter primos doctrina, Ioannem Argenterium, præceptorem noſtrum annumerare licet, qui Neapoli librum Artis medicinalis Galeni exponens, publicè hoc profitebatur. ut ſanctum Doctorem omittam, Philoponùm, Auerroem, & Ioannem Philippum Ingraſſiam, noſtrum re & nomine Archiatrũ; ac Paulum Monechum Parthenopęum doctiſſimum, aliosque innumeros.

CONCLVSIO XIIII.

Differentias etiam vltimas de differentibus ſpecie prædicari.

VIdetur propoſitio iſta primo intuitu ſatis à veritate remota, & præcedenti maximè oppoſita; quandò differentia vltima ea ſit, quæ vnam ſolam ſpeciem conſtituit, & per conſequens de ea ſolummodo prędicari queat: nouo tamen notato intellectu quæ ſub illa dictione, Vltimas, continetur, veritas eluceſcet clariſſima.

Idcirco aduertendum eſt, quòd differentiam dici ultimam, dupliciter intelligi poteſt. uel quòd ſit illa, quę vltimò conſtituit id, cuius eſt differentia; vel quòd ea ſit, quæ eam conſtituit naturam, ſeu ſpeciem, quæ in prędicamentali coordinatione ultimo poſita ſunt loco, & ſedis conſideratione ultimá nuncupatur. Tunc ſi per differentiam vltimam, eam primo modo dictam intelligamus; eam de differentibus ſpecie prædicari poſſe ambiget nemo: quoniã illud quod conſtituit, genus eſſe poteſt; & ex conſequenti, generis prædicatione quæ de differen-

tibus

tibus ſpecie ſit,illud tale conſtitutum enunciabitur: quod exemplo pateſcet. Animal quod generis rationem & prędicationem habet, plures continet differentias,quibus à ſuperiori genere abundat:ſed illa quæ ipſum animal ad eſſe tale reducit, & qua à quocunque alio differt, vltima uocatur differentia: quia illud ultimò conſtituit: cuiuſmodi ſenſitiuum eſt. Corporeitas enim differentia, licèt animalis conſtitutiua ſit, pariter & animatio; nõn tamen vltimę nominabuntur,quę animal ad eſſe tale ultimum conſtituant; quia ratione primę differentiæ qua corporeum eſt,à lapide nequaquam differt. ratione uerò ſecundę quanquam à lapide differt,qui animatus non eſt, à planta nihilominùs minimè differt:at animali Senſitiuum adueniens,taliter eiuſdem naturam conſtituit, quòd per talem differentiam a quocunque alio quod animal nõ ſit,differt. & per eandem in eſſe proprio animal: ac non niſi ijs quæ ſub animali ſunt communicabile redditur. Si autem differentiam ultimam ſecundo modo intelligamus,quoniam illo modo ultimæ, ſpecies ſpecialiſſimas duntaxat conſtituunt: quę ultimo loco in quouis prædicamento reponuntur, (indiuiduis neglectis,quoniam eorum ſcientia non habetur, & ad illa deſcendentem,iubet Plato quieſcere) taliter quòd vnaquęque ſpecies propriam ſortiatur differentiam, quæ eandem ſpeciem ſub proximo ſibi genere vltimo conſtitutam, reponat in tali eſſe; huiuſmodi differentia, non niſi de ea ſpecie cuius conſtitutiua eſt, prędicari poterit;& nullo pacto de pluribus ſiue alijs. Et ſic concluſio noſtra primo modo uenit ſubſtinenda; non autem ſecundo; quia hoc eſſet impoſſibile,vt præcedens declarauit propoſitio. Et hæc ad Iuuenum ingeniorum exercitium qui ſubſtinendis concluſionibus inuigilant, ſint dicta; quæ ſufficiant pro illis, quæ notatu digna

gnæ in capite de differentia uiię ſynt, materiebus.

CONCLVSIO XV.

De Proprio tractans Porphyrius, diminutè quidem ſatis agit.

ALiter, quàm in alijs prædicabilibus, ſe geſſit Porphy. agens de Proprio: quandoquidem quæ ſit Proprii natura ex eius declaratione minimè innoteſcit: & ſicuti aliorum prędicabilium plures, non vnam duntaxat, diffinitiones áſſignauit; ita, oppoſito hic modo, nequidem ſimplicem Proprio attulit. qua profectò ratione, ſi veritas obſequio præferenda eſt, ut ingenii libertas expoſtulat, diminutum in cap. de Proprio fuiſſe Porphy. aſſerendum eſt.

Porphy. defenſio. ab Hieronymo Calvo. At Hieronymus auditor, & frater noſter, indefenſum tantum uirum ægrè ferens, acutèque obiiciens inſtabat, dum legebamus. Cùm verè propriū, & illud cui præſens a Porphy. caput aſcribitur, id ſit, quod quarto modo proprium appellatur, ex multarum huius proprii conditionum enumeratione, petita eiuſdem reſultat diffinitio. Proprium enim hoc quarto modo dictum, quùm ex proprio primi modi colligat, quòd ſoli ſpeciei competat: & ex eo ſecundi modi, quòd omni ſub tali ſpecie contento congruat, & demum ex proprio tertij modi, quòd non ſecundùm aliquas temporis differentias inhęreat, ſed ſemper; elucet & ipſum quarti modi proprium ex iam aliunde collectis ſibiq; attribu-

tis conditionibus diffinitum hoc pacto; Proprium eſt quod competit omni, ſoli, ac ſemper.

Sed ab iniuria hæc noſtri Hieronymi defenſio Porphyrium non vindicat: quia tunc à pari, nec ipſa debuiſſet diffiniri Differentia: nanque ex prima Differentiæ diuiſione, ea differentia cui proprium dicabatur caput, & de qua præcipua erat intentio, nanciſcebatur quòd eſſet magis propria; ex ſecunda eiuſdem diuiſione, quòd eſſet inſeparabilis; ex tertia, quòd eſſet faciens aliud: unde Porphy. ex ea declaratione, naturę differentiæ quæ ab huiuſmodi diuiſionibus proſiliebat, contentari debuiſſet: illa nanque talis eſſet; Differentia eſt, quæ cùm magis propria dicatur, inſeparabiliter adueniit, aliud faciens. Ratio igitur qua differentia hoc pacto expoſita & diffinita non fuit, proceſſit, quia cùm de ea ut prędicabile quoddam fuiſſet, Porphy. tractaturus, alia requirebatur eiuſdem diffinitio, quæ eam ſecundùm modum proprium conſiderandi, ideſt, ſecundùm quòd prędicabile eſset, notificaret. A pari igitur, eſtò quòd proprium eo modo fuiſſet hic diffinitum, ut noſter Hieronymus inculcabat; adhuc poſsemus in Porphy. ut diminutum inuehi: quoniam, eam Proprij diffinitionem omiſit, quæ eidem, ut hic conſideratur, competebat. Hic enim de eo agitur, ut uniuerſale quoddam quartum eſt, ab aliis quinque diſtinctum; cui conſiderationi deſcriptio illa collecta ex aliis Proprii ſignificatis non reſpondebat. *Confutatio.*

Sed huic inſtantię amicus noſter Pacca fit obuiam, dicens pro Porphy. quòd Proprium ſub ratione qua prædicabile, ideo hic diffinitum non eſt; ut demonſtretur, quòd per modum accidentis ſe habet: & ut ſic potiùs per accidere, & ineſse, quàm per prędicari, diffiniri debet; quia ſi prædicatur, hoc eſt non ut accidens, ſed ut uniuerſale. *Alia defenſio a Pacca.*

Hæc

Confutatio. Hæc reſponſio (ſalua huius Iuuenis amicitia) Porphy. tueri non poteſt, uera exiſtente uulgata illa propoſitione Peripatetica, quòd modus conſiderandi ſumitur à modo diffiniendi. Modò ſi Proprium diffinitum eſt, ut habet accidere & ineſſe; quare non ut ſic eſt conſideratum, ſecluſa omnis vniuerſalitatis ſeu prædicabilitatis ratione? quod dici nequit; quia ea quinque vniuerſalia à Porphy. conſiderata, ſub ratione formali prædicabilitatis exarata ſunt. Et ſi proprium ut vniuerſale & prædicabile conſideratur; quare etiam ut ſic diffiniri nõ debuit? Conſiderari enim uno modo, & alio diffiniri, inconueniens reputatur. Hoc tamen aduertens Magnus magiſter, Naturæ miraculum, primo Topic. cap. quarto Proprium uera ſui notificatio-
„ ne, & ſub ratione qua prædicabile quoddam eſt diſ-
„ finiuit, inquiens; Proprium eſt, quod non indicat quid eſt eſſe; ſoli autem ineſt, conuerſim prædicatur de re &c. Et notandum eſt, quòd in hac Ariſtotelica diffinitione, vtraque iam dicta Proprii contemplatio, uerbis quàm breuiſſimis comprehenſa eſt. Vt enim eſt accidens, additur illud uerbum, Ineſt, & quòd non indicet, Quid. Vt autem eſt prędicabile, ſubditur quòd conuerſim prędicetur, & per ly, Conuerſim, uera & eſſentialis Proprii quidditas inſinuatur. Patet igitur quomodo non fuit Proprium diffinitum, & quomodo poterat ex Ariſt. diffiniri.

CONCLV-

CONCLVSIO XVI.

Proprium, & ſi quadrifariam viſus eſt Porphy. diuiſiſſe, trium tamen ſignificatorum exempla ſolùm adduxit. Hominem enim in ſrnectute caneſcere, Proprium eſt quarto modo dictum, non tertio.

FAcillimè propoſitio iſta ſubſtinetur: quoniam nos tertium Proprii ſignificatum à quarto non differre firmiter tenemus; ſiue ut ueriùs loquamur, tertii ſignificati exemplum. quoniam occaſionem, non à peculiari eorundem Propriorum ratione & natura deſumimus; ſed ab iis quę Porphy. adduxit exempla. Volens enim demonſtrare, Proprium tertio modo dictum, eſſe id, quod ſoli ſpeciei, omni contento ſub illa ſpecie competit, ſed non ſemper; hoc tradidit exemplum, ut hominem in ſenectute caneſcere; quod (ni fallimur) Proprium quarto modo dictum arguit: quia eiuſdem conditiones ſortitur omnes. Omnis enim homo, ſolus homo, & ſemper homo in ſenecture caneſcit. Modò Proprium, tertiò modo, ut per eius deſcriptionem à Porphy. allatam patet, quòd non ſemper, ſed aliquando enueniat liquet; at homini quòd in ſenectute caneſcat, non aliquando, ſed ſemper accidit. Sed ſi aliqua indiuiduali proprietate hoc non contingat,

Porphy. abuſus eſt exemplo.

tingat, illud ordinariȩ & ueræ conſiderationi non ſubiacebit. Vnde, ut rei ueritatem enucleemus, in textu Porphy. deceptio prouenit ex additione illius dictionis, In ſenectute: quia ſi citra ſenectutem canitiem contemplemur, eandem eſſe tertio modo appellatam proprietatem non negabimus; quandoquidem, ipſi homini canities ſoli accidit, & cuicunque ſub humana ſpecie contento; ſed non quauis temporis differentia; quia duntaxat in ſenectute. at ſi tota hȩc complexa uox ſumetur (canities in ſenectute) proprium quoddam inferet, quod non modò omni, & ſoli, ſed etiam ſemper homini inerit, & ſic completam proprii quarto modo dicti rationem ſubibit. Hȩcque dicta ſint, ut acuta ſcholarium excitentur ingenia.

CONCLVSIO XVII.

Proprij ſignificationes aliquas, mutuas ſubire poſſe vices.

Propriũ 4. modo poteſt eſſe 1. & conuerſo.

LIcèt non quoduis Proprii ſignificatum, alterius rationem ſortiri poſſit; in aliquibus attamen hoc uerificari poſſe, nemo negabit; unde propoſito uniuerſaliter aſſignata non eſt. Pro cuius intelligen tia aduertendum eſt, quòd Proprium quarto modo dictum, poteſt eſse proprium primo modo, & pariter hoc poteſt fieri illud; habito reſpectu ad eam diſtinctionem quæ ex actu & potentia exoritur, pro quanto huius diſtinctionis uariatio exerceri poteſt, & ſic ſecundùm diuerſum conſiderandi modum,

dum,ordinum diuerſitatem,Proprij ſignificata acquirere poterunt. Nam ſi proprium quarto modo dictum, quod potentiam ſupponit, actu intelligeretur,Proprium primo modo ſumptum euaderet. & ſi proprium primo modo, quod actum illius cuius eſt Proprium, exercitum importat, potentiam diceret,Proprium quarto modo fieret.Et hoc ideo, quia vtrunq; vnam ſeu parem ſpeciei proprietatem ſecum ducit: ſed primum illam ſpeciei in actu adeſſe dicit, quartum uerò in potentia. Probatur hoc exemplis ab eodem Porphy. adductis. Nam Medicum eſſe, quod actum in homine dicit, ex quo Proprium primo modo appellatur;ſi potẽtiam innueret, qua quiſpiam poſſet eſſe medicus,quod quidem omni homini;ſoli,&ſemper ineſſet, Proprium quarto modo fieret,& ſi riſibile eſſe, quod potentiam in homine dicit, ex quo quarto modo Proprium nuncupatur,actum importaret, quo aliquis rideret; quum non omni homini,nec ſemper quanquam ſoli eueniat, Proprium primo modo ſumptũ euaderet. Hoc bonus Porphy. aduertens, asſerit, per riſibile non debere intelligi id quod ſemper ridet,ſeu quod actu ridet;quia tunc primo modo Proprium hoc eſſet,non quarto:ſed quod eſt aptum natum ad ridendum; quæ aptitudo ſeu potentia,cùm omni differentia temporis homini, proprio qui de ſubiecto inhæreat,perfectiſſimam Proprij ſignificationem,repreſentat:& ſic unum & idem proprium, diuerſo modo conſideratum, in alio & alio ordine ſeu gradu reponitur.Hic obiter noſtratium hoc termino,Riſibile,abutentium notandus error: illo nanque,actiuam ad ridendum exprimere uolentes potentiam, paſſiuam promunt;riſiuum, ſeu ad ridendum aptum, fęlicius explicaturi; quem, ut communem;& nos ſequimur lapſum. Notãdũ.

CONCLV-

CONCLVSIO XVIII.

Vnam eandemq́ paſsionem, primo, ſecundo, & quarto modo Propriuam dici poſſe.

DIuerſo modo à præcedente ſubſtinetur præſens concluſio; illa ſiquidem dicebat, idem Proprii ſignificatum, uni perpetuò comparatum, ratione diuerſi modi conſiderandi, alio & alio modo Proprium appellari poſſe: Hæc autem tenet, quòd unum et idem Proprii ſignificatum, ſub una & eadem conſyderatione (nulla habita potentiæ uel actus diſtinctione) alio etiam & alio modo dici poteſt. Verùm ad concluſionis ueritatem defendendæ alia exigitur conditio, de qua ibi nulla fiebat mentio; quòd ſcilicet ad diuerſa comparetur. et ſic eadem proprietas reſpectu unius, erit primo modo dicta, reſpectu alterius ſecundo. Ad aliud autem eadem proprietas comparata, dicetur, quòd quarto modo dicti Proprii leges ſubibit. et hoc pacto cùm non reſpectu ſimplicis ſubiecti procedat propoſitio, facillimè poterit ſubſtineri; atque ipſam (ut magis clareſcat) exemplis roboremus. Potentia motus localis proprium quoddam eſt animali adueniens, quarto modo dictum; quia omne animal (perfecta ſupponimus animalia) ſolum animal, et ſemper animal, tali motu moueri poteſt. Eadem ad motum localem potentia, corporis animati proprium eſt primo modo, quia ſoli animato

corpori

corpori aduenit: & ſi non omni, quandò illa plan-ctæ priuentur. eſt etiam hominis & leonis propriũ ſecundo modo: quia omnibus hominibus ſeu leonibus competit, & ſi non ſolis. ſic etiam dicere poſſumus de hac paſſione volatile. Volatilitas nanque (vt hoc utamur vocabulo) proprium eſt animalis (quia eidem ſoli competit) primo modo. Aquilæ, cùm omni, ſecundo modo, & auis quidem, ſi uolandi actum contemplabimur proprium erit tertio modo, quia omnì, ſoli, & non ſemper aui uolatus competit, ſed ſi ad uolatum potentiam conſiderabimus, paſſio erit auis propria & quarto modo dicta. Pariter hęc paſſio habere tres angulos æquales duobus rectis triangulo competit, careat pro nunc formæ nomine ut proprietas quarto modo dicta, & ut infinities ab Ariſt. primo Poſt. docetur. congruit figuræ, vt Proprium primo modo; ſcaleno ni, verò iſocheli, & cuiuis alteri trianguli ſpeciei, ut Proprium eſt ſecundo modo.

Sed non leuis hinc emergit difficultas; quia illud, quod eſt uni proprium quarto modo, uidetur quòd nulli alij poſſit eſſe proprium, etiam aliquo alio modo, non ſolùm quarto: quia ſi illi tali competit ſoli, cuiuſmodi eſt uera quidditas Proprij quarto modo, qua ratione poterit alij competere? quòd ſi ſic; ergo illi priori ſolùm, & ſic non quarto modo. Reſpondemus hoc eſſe verùm; cum quo tamen noſtrę concluſionis non ſtat falſitas. Idcirco intelligendum eſt, quòd proprium quarto modo, nulli alij poteſt congruere ab eo cuius eſt proprium, quod ſit ab eo, cui congruit, extraneum; bene tamen poteſt alteri inhærere, quod ſit ſuo ſubiecto proprio intrinſecum; genus ſcilicet, ſeu ſpecies; quibus quidem ſic dictis intrinſecis, ſub ratione qua illius cui quarto modo Proprium accidit, ſunt partes, ſeu *Dubitatio.* *Solutio.*

I eſſen-

eſſentialia,conſtituentia,ſeu conſtituta, poteſt com petere.& ſic ſi motus localis corpori congruit animato,& habere tres angulos competit figuræ, riſibile animali,& rurſus eidem uolatile;contingit hoc ſub ratione qua hæc ſunt,uel animalis, uel trianguli,uel hominis, uel auis genera & ſic quaſi per accidens.quæ illa conſtituunt , quorum iam dicta propria, ſunt quarto modo propria:iuxta eam methodum quam ab Ariſt.in Anteprædicamentis docentur.quod ſcilicet quæ ſubijciuntur ſpeciei,& generi ſpeciei,& generis generi , & tandem generaliſſimo ſubijciuntur. Similiter ſi motus localis competit homini:& habere tres angulos iſocheli, & uolatile aquilæ;hoc prouenit ſub ratione qua,uel animalis, uel trianguli,uel auis ſunt ſpecies,eſſentialem quidditatiuamque generum naturam ſapientes & participantes . & hoc apparebit clariùs ex Porphyriana regula,quæ à iam dicta Ariſtotelica ortum ducit,in cap.de Specie,Quæ prædicantur de prædicato, prædicantur & de ſubiecto illius prędicati.& ſic non inconuenit,idem quod eſt proprium uni quarto modo,alteri poſſe competere . Et ita curioſus poterit hanc aliam ſubſtinere concluſionem:

Noua Cõcluſio PROPRIVM quarto modo non competit ſoli illi cuius Proprium eſſe dicitur: quoniam(ut iam declaratum eſt,) congruit etiam,& congruere debet illis quæ eſſentialem ſapiunt , continent, & participant naturam illius cuius illud Proprium eſt proprium; ſiue illa talia quibus adhuc proprium inhæret,ſint genera,ſiue ſpecies,illius cuius proprium eſt quarto modo Proprium:eo tamen interueniente diſcrimine(ut expoſuimus) quòd generibus primo modo competit,ſpeciebus autem ſecundo.

CONCLVSIO XIX.

Non plenam ſignificatorum Proprij ſufficientiam à Porphy. fuiſſe allatam.

PRæſentis propoſitionis, quot, quæue ſint Proprij ſignificationes munus non eſt exquirere: at tantùm probare intendimus ex principijs à Porphy. iactis, uniuerſam Proprij amplitudinem non fuiſſe euacuatam. Tres enim illæ Proprij conditiones, quòd ſcilicet ipſum poſsit competere uel non cȯmpetere, omni, ſoli, ſemper, non uidentur quadri membri oſtenſa diſtinctione, ſufficienter combinatæ. Quādo enim inquit, quòd primum ſignificatum eſt, ſi ſoli accidit. & non omni, ut hominem eſſe medicum; ſi à tali ſignificatione remouetur ly, Semper, multa certè comprehendet; & fortaſsè difficultatem pariet: quia poſſet quis obijcere, quod ſemper homini accidit eſſe medicum; licèt pro Porphy. dici poſſet, uerum eſſe illud pro potentia ad eſſe medicum, non pro ipſo medendi actu. Sed ſi aliud Proprij ſecundum ſignificatum cum ly (Non ſemper) intelligatur, naturales omnes actiones erunt pluribus animalis ſpeciebus hoc modo propriæ; ut manducare, bibere, digerere, parere, coire, nutrire, &c. & multæ ægritudines; ut apoſtemata, dolores hydrophorbia &c. Eſſetq; aliud Proprij ſignificatum hoc à Porphy. non adductum, quia à ſuo ſecundo non ſecluditur, Semper, ut per exemplum ab eo allatum *Propriū quod omni, non ſoli, & nō ſemper.*

patet. Bipes enim homini, omni competit, non ſoli; & tamen ſemper; at eas quas recenſuimus proprietates naturales, competunt, homini omni, non ſoli, & non ſemper, ut de ſe patet. Videtur ergo, quòd tale Proprij ſignificatum omitti non debebat, cùm ſub aliquo ex quatuor à Porphy. adductis reduci facilè non ſit. Eſset pariter alia Proprij ſignificatio competens alicui ſpeciei, ſed non omni, nec ſoli, nec ſemper.

Propriũ quod, nec omni, nec ſemp, nec ſoli.

Sed ſtatim obijcient omnes; Si nec omni, nec ſoli, nec ſemper ineſt, uano ac ridiculo potiùs nomine illud tale Proprium nuncupabitur; ſed ueriùs dicetur accidens Reſpondebimus, quòd de uera accidentis ratione eſt, quod à determinata ac neceſſaria cauſa non proueniat; quo fit, quòd taliter dum ſubiecto adeſt, adſit; quod abſque ſubiecti ſubſtantiali mutatione poſsit pariter abeſse. At cùm quędam paſsio inuenitur, quę alicui ſubiecto neceſsariò contingat, & ex determinata ac naturali cauſa; dicetur talis paſsio illius ſubiecti cui ineſt, uera proprietas, licèt non ſit aliquo modo ex quatuor ab ipſo Porphy. declaratis. Et quoniam rei ueritas exemplis magis elucet, afferamus exemplum, quod modò occurrit, de eo uerme qui bombix nuncupatur. Hic enim, ubi araneorum inſtar fila deduxit tenuiſsima, ex quibus ſericum fit, ex anguſto ac pene ſolido ex dictis filis contexto inuolucro egrediens, cornutus ac alatus apparet. Huic ergo uermium ſpeciei, cornua alaſque habere Proprium quoddam eſse, nemo ſanę mentis (ſuſpicamur) ambiget; quoniam à determinata, naturali, neceſsaria que hoc cauſa prouenit; ſic enim alati huiuſcemodi uermes egredientes, coeunt, ac minutiſsima edētes ouicula ſeu ouula propriæ ſoboli, ac ſpeciei perpetuitati conſulunt. finis etiā omnium huiuſmodi uermium hic eſt. Quapropter hæc paſſio eiſdem nō

Inſtātia.

Reſponſio.

accidentaliter ineſt,ſed propriè:hæc proprietas reſpēctu uermis,dicetur eidem competēs, non omni, quia non omnes uermes hac paſſione donantur. Non ſoli;quia alas cornuaq; habere alijs competit animantibus, quæ uermes non ſunt. Non ſemper; quia non niſi certo quodam tempore,ut cani ties homini,uermibus illis alę cornuaque inhęrent, adnaſcunturque. Habemus ergo ex Porphy hæc Proprij ſignificata. Primum, quòd ſoli accidit,& non omni: Secundum,quòd omni & non ſoli; Tertium,quod ſoli,omni,& nō ſemper;Quartum,quod ſoli, omni, & ſemper. Quibus (ut diximus) addē dum putamus.Quintum,quod omni, non ſoli,non ſemper;& Sextum,quòd nec omni,nec ſoli,nec ſemper.Duo alia remanerent Proprii ſignificata; unū quod ſoli,ſemper,& non omni competeret:& alterum, quod ſemper, non omni, nec ſoli;at talium proprietatum inhæſionem reperire,nobis difficile uiſum eſt;arbitrātes quòd cum ly (ſemper) ly(Nō omni) combinare non poſſumus; quandoquidem non poſſumus facilè imaginari quòd aliqua paſſio alicui ſubiecto ſecundùm omnem temporis differētiam inhęreat, & poſtmodùm quòd ab aliquo ſub tali ſubiecto contentò remoueatur;quomodo nanque fiet,quòd una proprietas alicui ſpeciei perpetuò inſit, quæ tamen de aliquo indiuiduo prædicari nequeat,nos neſcimus. Illa quidem perpetua inhęſio eſſentialem arguit originem, uel certè non accidentalem,à qua quæ continentur inferiora,eſſe immunia, quędam oſtenditur illata repugnātia. Libenter attamen oppoſitum eorum quæ hic diximus,diſceremus.Nec nobis nimium hæc noſtra ſtudia placerent, niſi Excellenti Domino Alphonſo Beniuenio Syracuſano Archiatro & Philoſopho adeò ſatisfacerent, ut nos ad illa edenda mirum in modū compelleret;ſed amore quo alterutrū

Collectio omnī modorū Proprij.

Nota ſufficientia modorum Proprij.

proſequimur uehementi ductus,amitinus enim noſter eſt, ac frater.

CONCLVSIO XX.

Porphyrius in enumeratione ſignificatorum Proprij,nullum executus eſt ordinem.

DIſcurrenti per ſingulos ordinum tramites rationesq; patebit hoc clariſſimè.Nã primò noluit proponere Porphy. id Proprij ſignificatum, quod eſſet quodammodo uniuerſalius ſeu amplius; quia tunc ſecundum ſignificatum primo eſſet loco ponendum. nec ab eo quòd minùs ac ſtrictius Proprij naturam ſignificaret, ut ad ampliora procederet; quia tunc à tertia ſignificatione fuiſſet exorſus. Nec ab eo quod digniori modo Proprij ſaperet naturam; nam tunc Proprium quarto modo dictum primam occupauiſſet ſedem. Nec ab eo quod minus dignè proprium diceretur, ut ſic ad digniora pergeret, quippe quę ultimo ſeruata ſunt loco; quoniam id quod eſt Proprium primo modo, tertium uel certè ſecundum gradum poſſideret. Nemo nanque repugnabit, quòd illud Proprium, quod tertiò enumeratum eſt, huic primo dignitate cedat: quoniam hoc penitus, & nõ ſecus ac Proprium quarto modo ex formalibus ſpeciei principiis cuius eſt proprium, ortum ducit. Illa autem uel ſecundo uel tertio modo Proprij dicta ſignificata materialia potius inſequuntur principia, quemadmodum abſque ulteriori perſcrutatione conſtat a

ne ad hanc diſcuſſionem examenque diſcendamus. Omittimus interea quòd multi exemplum Proprii tertio modo dicti perlibantes, canitiem in ſenectute, aliis nonnullis ab homine animalibus euenire contendant. Sed horum & ſimilium inquiſitio prolixiores quàm par eſset, in rebus, propoſitę iuuenum utilitati minimè neceſsariis, nos redderet.

CONCLVSIO XXI.

Proprium num vniuerſale ſit.

VTraque huius propoſitionis pars rationabilia, quibus inniti poſſit, continet fundamenta. Affirmatiua quidem: quoniam, quùm Proprium in prædicabilium claſſe enumeretur, quæ vniuerſalia ſingula nominantur, & Proprium etiam vniuerſale quoddam eſſe neceſſum eſt. Negatiua uerò; quoniam, cùm de vniuerſalis ratione exiſtat, quòd commune quoddam ſit, nullum autem commune Proprij nomen ſortiri poſſit: (implicat nanq; contraditionem, quòd idem Proprium ſit & commune) ſequetur igitur, quòd Proprium, uniuerſale eſſe nequeat. *Prima concluſionis defenſio.*

Poſſunt ambæ partes adhuc defendi, ſi conſideretur Proprium bifariam poſſe intelligi; uel abſolutè ſcilicet, uel reſpectu illius cuius eſt propiium. Si contemplabitur abſolutè, nullo pacto uniuerſale eſſe poterit; & per conſequens neque prędicabile: quia ut ſic naturam dicit quandam uni duntaxat peculiarem, nulliq́ue alij communicabilem. Si autem reſpectu illius, cuius eſt proprium, conſiderabitur; quoniam illud tale poteſt eſſe uniuer- *Secunda*

ſale quoddam,quod de pluribus prædicetur;ſequitur,quòd & proprium illi adueniens;quoniam eius cui aduenit naturam debet ſapere, ſit adhuc uniuerſale, quod de eiuſdem illis pluribus prædicari debeat,de quibus &illud cui ipſum proprium inhæret, prædicatur. Nec tamen hinc ipſum proprium, nominis amittet rationem ſeu ethymologiam : quia taliter erit proprium illi cui aduenit, quòd nullo pacto talis proprietas alij extraneo communicare poterit,unde poſtmodum(amiſſo ſuæ ſignificationis nomine)uniuerſale nuncupetur;ſed ſemper erit proprium, ſuoq; ſubiecto propriè adueniens. Nihilque refert an tale ſubiectum vniuerſale ſit, uel particulare; dummodo circa illud proprias gerat Proprium vices.

Tertia. Dici ulteriùs poteſt, Proprium poſſe eſſe uel ſpeciei uel indiuidui.Tunc negatiua concluſionis pars, pro indiuidui proprio ueritatem adipiſcitur; quoniam cùm indiuiduum ſingulare ſit, cæteriſque incõmunicabile(ut eiuſdẽ nominis cõtemplatio ſuadet) ſequitur pariter eiuſdem indiuidui proprium nulla ratione poſſe dici uniuerſale. Pars autem concluſionis affirmatiua,pro ſpeciei proprio uel cuiuſuis alterius uniuerſalioris ſupponit: & ſic, quia illa ſpecies,cuius ipſum eſt proprium, habet rationem uniuerſalis,& prędicabilis,& ipſum etiam proprium hoc modo uniuerſale erit, ac prædicabile, cùm de ratione Proprij ſit, quòd cum eo cuius eſt proprium,conuertatur,illiuſq; ſortiatur conditiones.

Quarta. Ex ijs etiam quæ ſubtilis Doctor habet quæſtione trigeſima uniuerſalium, dici poteſt, quòd Proprium poteſt eſſe nomen primæ intentionis, & ſecundę. Si primę,quia ut ſic contradiſtinguitur communi, ſic verificabitur negatiua concluſionis pars; quia de nullo poterit prædicari, cùm neque uniuer

ſale

ſale ſit. Si autem conſiderabitur, ut ſecundę intẽtionis nomen, quia vt ſic eſt quoddam prędicatum conuertibile, & eſt vt ipſa ſpecies, & per conſequens habetur de eo conceptus ſicuti & de genere & differentia; dicetur prędicabile, & conſequenter uniuerſale, qua conſideratione, propoſitionis affirmatiua pars ſubſtinebitur. & ſic utraq; pars defendi poteſt.

Hinc obiter, colligere ingenioſus iuuenis concluſionem nouam poterit talem:

Noua cõcluſio.

DEMONSTRATIO etiam, quę potiſſima nuncupatur, ex communibus conſtat. Quę ſi uideatur totum poſterioriſticum negocium oppugnare, quoniam per vniuerſum primum lib. Poſt. docetur, demonſtrationem ex proprijs immediatis & ueris fieri, & nullo modo ex communibus; eſt tamen aduertendum, quòd Commune uno modo intelligitur, ut contra Proprium diſtinguitur; & ſic ex communibus demonſtratio conſtare nõ poteſt, ut citato iam libro declaratur, & rei ſuadet ueritas. Alio modo, ut contra ſingulare diſtinguitur ſeu contra particulare; quoniam ea quæ communia ſunt, ſingularibus & particularibus opponuntur; & ſic adductæ huius noſtrę propoſitionis elucet ueritas; quia demonſtratio, cùm non conſtet ex particularibus, immo particularia demonſtrationem nullo modo ingredi queant, ex communibus ut ſic conſideratis conſtat. Quum enim commune taliter acceptum, idem ſignificet quod et uniuerſale; ſequitur, quòd eſt uniuerſalibus conſtans demonſtratio, conſtat etiam ex communibus eiſdem æquipollentibus.

Notandum hìc breuiter eſt, quòd licèt ſingularia dixerimus nullo modo ſyllogiſmum demonſtratiuum ingredi poſſe, hoc tamen per ſe, & ſimpliciter intelligendũ eſt; quia per accidens, & ſecundũ quid,

poteſt

Alia conclusio poteſt erigi hæc alia concluſio: SINGVLARIA demonſtrationem adhuc potiſſimam ingrediũtur: Propterea quia non poteſt paſſio de ſubiecto demonſtrari (quod finis eſt à demonſtratore intentus) niſi de omnibus ſub tali ſubiecto (quod uniuerſale oportet ſit) contentis particularibus, & ſingularibus uerificetur: ut inde ad ulteriorem inueſtigationem progrediatur, probeturque talem paſſionem, illorum ſingulorum ſpeciei inhærere; quæ probatio, ipſa eſt demonſtratio, & ſic eadem ſingularia: & ſi primaria intentione ad demonſtrationem non requirantur, ſecundaria tamen negligi non poſſunt. Sed de his fortè aliàs cum Ioanne Gandauenſe in 7. Metaphy quæſt. 24. ubi concluditur, quòd uniuerſale ꝑ re obiecta, ab intẽtione denominata, non ſeparatur a ſingularibus & ſenſibilibus, ſecundum eſſe extra animam.

CONCLVSIO XXII.

Proprium non prædicatur de una ſola ſpecie. Parcat Porphy. & omnes illum exponentes.

QVanquam (ut in concluſione decimaquinta demonſtrauimus) Porphy. Proprij diffinitionem non aſſignauit; eam præſertim, qua unũ ex quinq; uocibus, ſeu prędicalibus exiſtit; clariſſimè nihilominus, ex eius monumentis, Propriũ de una ſola ſpecie prædicari, eundem affirmauiſse colligitur. Si nanq; uerborum ſeriem, qua ipſe caput de Proprio texit, rimabimur; ſatis hoc fiet manifeſtum.

nifeſtum. Poſtquam enim Proprium quadrifariam diuidi, dixit ita ſubiunxit; Nam & id quod ſoli alicui ſpeciei accidit, &c. Vnde uult, ut ibi clareſcit, oſtēdere, quòd licèt multifariam Proprium dicatur, ſemper tamen ad ſimplicem ſpeciem reſpectum habet: & illud potiſſimū, de quo pręcipuè uerba fiunt, quod quarto modo Proprium appellatur, illud quidem ſoli ſpeciei, omni ſub ſpecie contento, & ſemper ſpeciei adeſse aſſerit. ex quo ſemper ſpecies intelligitur illud, cui proprium debet euenire, & ad ipſam, illæ conditiones hoc ipſo capite ſępiſſime repetitę referuntur uidelicet ly, Soli, ly, Omni, & ly, Semper. Sed cur multa? hoc ab ipſo Porphy. & omnibus pariter eundem exponentibus, in cap. de Genere recipitur, ubi uolens Generis diffinitionē declarare, & oſtendere quomodo per illam Genus à quocunq; alio pręd icabili differat, eò deueniens, ut quomodo a Proprio diſtet commonſtret, hęc habet formaliter; A Proprio uerò differt Genus, „ quoniam Proprium quidem de una ſola ſpecie cu- „ ius eſt proprium, prædicatur, & de ijs quæ ſub ipſa „ ſpecie ſunt indiuiduis, quemadmodum riſibile de „ homine ſolo &c. Vlteriùs ſimilia, immo eadem for „ malia uerba ab eodem Porphy. in ultimo ſuæ introductionis capite, in quo agit de omnium pręd icabilium communitatibus & differentijs, ſæpiſſime repetuntur. Ibi enim rurſus uolens oſtendere quomodo a Genere Propriū differat, & poſtmodū quo modo idem Proprium à Differentia, & tandem in quibus ab Accidente diſtet, hoc ſępe ſæpius inculcat quòd Proprium de una duntaxat Specie pręd icatur. Hæc poſitio (pace grauiſsimi authoris & expoſitorum) ueritati nequaquam uidetur conſona. Repe riuntur enim multa Propria, etiam quarto modo dicta, quę de pluribus ſpecie differentibus prædicantur, tantùm abeſt quòd de una dici ſola, poſſet affir- *Contra Porphy.*

mari. atque hoc omnibus compertum fiet, ubi Proprium quod genericæ aduenit naturæ, intuebimur. Illud ſiquidem, Proprii ſeruata ratione, quòd ſcilicet, cum eo cuius eſt proprium conuertatur, ac de ijſdem quòd prædicetur, de quibus & illud cuius eſt proprim dicitur; ſequitur quòd de pluribus differentibus ſpecie prædicabitur. quandoquidem uolatile, quod omnium auium proprium eſt, nonne de pluribus auibus ſpecie differentibus prædicatur? & reſpiratiuum, quod eſt proprium uniuerſorum pulmonem habentium animalium, nonne de differentibus ſpecie dicitur? & uegetatiuum ſeu id quod nutrimentum trahere poteſt, nonne prædicatur nedum de differentibus ſpecie, ſed etiam genere? cùm de plancta & animali enuncietur, quę genere diſtãt. & id quod facit latera diſtare, iam de pluribus corporibus genere differentibus, ut proprium prędicatur; ſimiliter trãſmutabile, mobile, alterabile, corruptibile & innumera alia de corpore prædicãtur, non ut genera; non ut accidentia, quia ex principijs eſſentialibus profluunt huiuſmodi proprietates; non ut differentiæ, quia per talia corpus non diuiditur: nec per eadem eſſentialiter, ſuppoſita conſtituuntur. Dicemus igitur mobilitatem &c. proprietates corporis eſſe: & per conſequens propria, non modò de differentibus ſpecie, ſed etiam genere prædicari queunt: quia huiuſmodi quas recenſuimus proprietates corpori cum conditionibus Proprij quarto modo dicti eueniunt: atq; hę cum conuertibiliter de corpore prędicentur, quòd de pluribus genere & ſpecie differentibus enuncientur, neceſsũ eſt. Idq; non minus elucet in exemplo ut plurimùm ab Ariſt. adducto de illa trianguli paſſione ſeu proprietate, niſi differẽtiã dixerimus: qua tres angulos duobus rectis æquales habet: quæ de pluribus differentibus ſpecie prædicatur; nempe de multis triangu-

guli ſpeciebus.Sed ne fruſtrà tempus in ijs exponendis, quæ uel cæcutientibus obuiam fiunt, conteramus,finem huic diſcuſſioni faciamus:illud ſolummodò aſſerentes, quòd cùm rei ueritas hęc ipſa nobis uideatur;quomodo tanti uiri in errorem hunc prolapſi ſint,neſcimus.niſi quis pro eorum defenſione aſſeruerit,eos tãtùm de illo Proprio loquutos eſſe, quod ſpeciei aduenit:non de ijs quæ uniuerſalioribus naturis eueniunt:de quibus mentionem facere cùm certè debuiſſent,quare non fecerint, aliorum eſto iudicium.Sicuti enim de ſpecie agens Porphy. quę de differentibus numero dicitur, eas adhuc ſpecies,quæ cùm ſpecies ſint,genera eſſe poſſunt,ad memoriam reuocauit; illarumq; duplices expoſuit habitudines; pari ratione & de Proprio tractaturus, Proprij generici vèrba facere congruum fuiſſet. Et hęc de Proprio ſufficiant,immo Philoponus primo de anima 4.uniuerſaliſſimis proprium tribuit.

Refellitur defẽſio.

CONCLVSIO XXIII.

Accidens de pluribus non prædicari.

HAEC concluſio,quò ueritati euidentiùs oppugnare uidetur, eò faciliùs ſuſtineri poteſt. Accidens enim conſiderari dupliciter poteſt:ut ſcilicet quoddam unum eſt, quod cum ſubſtantia ens partit:de quo ſeptimo Metaphy. & ferè per totam ſcientiam illam,ens in ſubſtantiam & accidens diuiditur.Hoc igitur modo ſumptũ accidens, prædicari nequaquã poteſt.quia ut ſic ens quoddam reale,ſubſtantiæ condiuiſumque eſt:quod eidem tantũ modò ſubſtantię habet inhærere.Predicatio autem enti rationis competit,quoniam Intellectus & inuẽtio,& opus eſt,attributumq; mẽtis opere fabricatũ.

Accidẽs duplex.

Poteſt & ſecũdo modo Accidẽs ipſum, ut quintũ

quoddam

quoddam prædicabile eſt, conſiderari; & ut ſic cùm nihil eius nomine aliud importetur quàm prædicatum accidentale, quòd de alijs prædicari poſſit, nil repugnat; quoniam tale accidentale prædicatum, de infinitis primis ſubſtantijs enunciari poterit; & hoc pacto conſyderatum Accidens, quintam & vltimam inter prædicabilia ſedem obtinuit: quia nõ minus ipſum accidentalia attributa de ſubiectis prædicat, quàm de illis eiſdem genus, ſpecies, & differentia, eſſentialia; & Proprium, quæ conuertibilia nuncupantur. Sic quoque quum ens reale non ſit, & Intellectus, prædicati accidentalis ſit & exiſtat author; factum eſt quòd de pluribus prædicari queat: eo modo quo prædicabilia alia quatuor, ex eadem intellectus officina conſtitutionem ſortita, ſunt ex eorum numero quæ prædicantur.

CONCLVSIO XXIIII.

Accidentis diffinitionem perperam à Porphyrio fuiſſe aſsignatam.

EX præcedentis concluſionis intelligentia, præſens poteſt probabiliter defendi. Quum enim accidens quod hic tractatur, & de quo poteſt Logicus uerba facere, id ſit, quod ſecundo modo in præcedente concluſione expoſito ſumitur, non quòd primo: & quod quum accidentale prædicatum duntaxat importet, terminus ſecundæ intentionis exiſtat; aliter quàm Genus, Species, & cætera prædicabilia; non uidemus quomodo poterit diffiniri: quę profectò, ut & conſideranda ueniebant, ita & diffi-

diffinita ſunt. At cùm Accidens per hoc diffiniatur, quòd adſit, & abſit, pręter ſubiecti corruptionem; taliſque diffinitio pręſenti conſiderationi nequaquam adęquetur, nos in admirationem trahitur: Cùm adeſſe, & abeſſe, & ſubiecti corruptio, termini ſint reales, accidentique attribuibiles, eo primo modo conſiderato, (ut ſuperiùs concluſimus) & ut ipſum, cum ſubſtantia à qua contradiſtinguitur, totam entis naturam euacuat. ut ſic ergo diffinitum Accidens conſiderationi Phyſicę, uel potiùs Metaphyſicę ſubijcitur; nullo autem modo Logicę: quę quidem entia, ut ſecundò intellecta ſunt, non ut realia conſiderat; & de his quinque uniuerſalibus ſecundùm modum prędicandi, non autem eſſendi pertractat. At hic (ut diximus) uiſus eſt Porphyr. Accidens potiùs per modum eſſendi (quippe cum eius eſſe adeſſe ſeu inhęrere ſit, ut à Porphyr. diffinitur) quàm prędicandi conſiderauiſſe. Pręterea & eſt ratio Reuerendiſs. Caietani, quòd multa ſunt accidentalia prędicata, quę entia rationis ſunt & ex conſequenti, hęc accidentis diffinitio illis nullo pacto poterit congruere, quoniam de illis, adeſſe & abeſſe, quę realitatem inferunt, uerificari non poſſunt. Tamen licèt idem Reuerendiſs. Porphyrij traditam diffinitionem ad bonum ſenſum reducere nitatur, ſicuti & in ſua paraphraſi fecit Auerr. talis nihilominus defenſio, eundem Porphy. grauiori modo correctum, & reprehenſum derelinquit; cùm modum ipſe tradat, quo accidens diffiniri debuiſset; qui talis eſt; Accidens eſt, cuius nec affirmatio nec negatio ſubiecti rationem tollit. ex qua diffinitione claret, quomodo accidentale prędicatum diffiniri debuit; quum è numero entium rationis ſit, ſub qua conſideratione occurrebat hìc diffiniēdum. cui fortè alludens Auerr. illud aliter diffiniuit ſic; Accidens eſt, quod ęſtimatur eſſe, & euaneſcere,

Qualis Accidēti aſsignata diffinitio.

Modeſta in Porphy. Caietani digreſsio.

Porphy. ab Auerroe correctus.

abſque

abſque eo quòd æſtimetur corrumpi ſubiectum eius, aut generari.

Porphy. notatus. Amplius, ut ſuperiùs in concluſione decima quinta aſſeruimus, eſtò quòd diffinitio Porphy. Accidenti, ut ſecundæ intentionis terminus eſt, congruat; quod eſſe non poſſe præcedentia demonſtrarunt; non eſt per illam diffinitum Accidens, ſub ratione qua de pluribus prædicabile eſt; Cùm talis ſit formalis ratio, & conſiderandi modus, omniũ quæ in hoc introductorio à Porphy. tractãtur, ut nemo ſentit oppoſitum. Nec uices iſtas (parcat Porphy.) compleuit ex duabus ſubſequentibus accidentis deſcriptionibus; quoniam in utraque conſyderatum eſt accidens potius ſub ratione qua alteri habet inhærere, & ineſſe; ſed quo pacto de illis quibus Accidens ineſt, prędicetur, non fuit expoſitum: nec quomodo illa, de quibus Accidẽs prædicatur, inter ſe differãt, num ſcilicet numero, an ſpecie, an genere; ſed neq; ſi in quid, uel in quale prædicatur; & ſi in quale, an eſſentiale quale, aut accidentale; & ſi accidentale, num conuertibiliter, an non, &c.

Caietani incuria. Nec noua Reuerendiſs. Cardinalis de Vio diffinitionis Accidentis expoſitio uidetur quòd ſatisfacere poſſit; quòd ſcilicet Accidens ſit, cuius nec affirmatio, nec negatio ſubiecti rationẽ tollit; quia & hęc ad propoſitum ſcopum aſſignata nõ dirigitur. Nã & ſi primam contra Porphyrij diffinitionem non ſubibit cenſuram, quoniam accidens declarauit ut prędicatum accidentale & ens rationis eſt; ſecundum tamen non aufugiet; quia nec ex Reuerendiſs. diffinitione, accidens ſub ratione qua quintum prędicabile eſt, remanet notificatum, ut ex ijs quæ ſecundo loco in Porphyrium diximus. & quę adhuc de proprio agentes, elucet.

CON-

CONCLVSIO XXV.

Primam Accidentis deſcriptionem, ſiue ut eam tradidit Porphy. ſiue vt Neoterici expoſuerunt, diminutè aßignatam fuiße.

ESTò quòd nullam ex iis quas in præcedente concluſione declarauimus, prima accidentis diffinitio,in qua illud eſſe aſſeritur,quod adeſse, & abeſse poteſt præter ſubiecti corruptionem,calumniam patiatur; apparebit tamen ulterius intuentibus,diminutè quidem fuiſse illam traditam.Huius ratio eſt; quia cùm duo,in illa exprimantur accidentis actus, duabus proprijs conditionibus limitandi, atque ita intelligendi ,ut alterutri actui alterutra reſpondeat limitatio,unius duntaxat conditionis quæ uni deſeruiret actui, mentione facta, altera alterum determinatura actum,ut penitus neglecta,a Porphy.adducta non fuit: quo circa quin diminutè egerit,ut rei exigebat occaſio, & conſona diffinitionis ſeries,non videmus quomodo poſſit defendi.Dicitur enim in hac accidentis diffinitione,quòd adeſt & abeſt;ex quibus duos elicimus accidentis actus·at quoniam accidentis natura expoſcit,vt ex illius acceſsu,vel receſsu, ſubiecti eſsentia nullo pacto variari queat, & diffinitio diffiniti naturam explicat; neceſsariò requirebatur, vel quod pro utroque actu, nullam ex accidente in

Porphy. diminutus.

ſubiectæ rei natura mutationem cauſari declararetur; uel quod de utroque hoc tanquam per ſe notum,& ex accidentis ratione clarum, relinqueretur intactum. Sed quoniam hoc Porphy. de uno aſſeru it, de altero tacuit; meritò dictum eſt, eundem in hoc fuiſſe diminutum. Probatur. Nam cùm dixit, Adeſt,&abeſt,præter ſubiecti corruptionem,ly Prꝫter ſub.corrup conditio limitans ex accidentis natura orta, non limitat ſeu determinat utrumque actum,præſentiæ ſcilicet accidentis,& abſentiæ,ſed tantum abſentiã;adeò quòd ratio accidẽtis,qua ſubiectum circa quod uerſatur,non poſsit eſsẽtialiter mutare, ſolum exprimitur de abſentia ipſius. Verùm quòd nec ex eiuſdẽ accidẽtis præſentia, ſubiecti ſequatur generatio, non eſt expoſitum. quod fieri debuit: quoniam æquè ſubſtantiale ſubiectum prꝫſentiæ, & abſentiæ accidentis ſupponitur. Vnde ſicut illius abſentia,ſubiecti corruptionem non arguit: pariter nec præſentia generationem: quum par ſit contrarijs ratio.

Obiecti remotio. Dicet quiſpiam; hoc à Porphy. ut per ſe notum fuiſse omiſsum. At pariter debuiſset dicere, Accidens eſt, quod abeſt prꝫter ſubiecti &c. negligens tanquam per ſe notum, quòd etiam adſit ſubiecto. Sed cùm rerum diffinitiones, ſeu deſcriptiones ſic aſsignari debeant, ut de illis nulla poſtmodum poſsit oriri difficultas; non minus unum debuit oſtendi, quàm reliquum: & eo modo quo ablatio non deſtruit, eodem nec poſitio conſtruit. & ſic prima concluſionis pars patet.

Eandem patitur Caietani diffinitio cenſurã. Claret etiam ſecunda qua Neoterici notantur, illi ſiquidem, ut Reuerendiſs. Caietanus, & alij uolentes alio modo & magis intentionaliter(ut in præcedente concluſione oſtenſum eſt) accidentis diffinitionem aſsignare, dixerunt; illud eſse cuius nec affirmatio, nec negatio ſubiecti rationem

tollit:

tollit: hæc, inquam, etiam diminuta eſt quia rationem ſubiecti tollere, ad negatiuam accidentis enunciationem pertinet: qua ipſum ſcilicet à ſubiecto abeſt; non ad affirmatiuam; uel certè non adutramque. Modò, ſi in Accidentis diffinitione, ut accidentale prædicatum eſt, poni debet, quòd ex eius negatione non ſequitur, quòd ſubiecti ratio tollatur; ſubdi pariter debet, quòd neque ex eiuſdem affirmatione ſubiecti ratio ponatur: quia ſicuti ſe habet adeſse, & abeſse accidentis reſpectu generationis, & corruptionis ſubiecti; (quæ realiter potius deſcribunt accidens;) ita ſe debet habere affirmatio, & negatio accidentalis prædicati reſpectu poſitionis, & ablationis ſubiecti; quæ quidem magis intentionaliter accidens declarant. Nec obijciatur (ut diximus) hoc ſubaudiri debere; quia id magis eſt ſugam arripere, quàm ueritatem iuuenibus elucidare; & ſi non multis ſit momenti huiuſcemodi diſputatio, ad maiores attamen perſcrutationes ſtudentum animos excitat. Hinc fortaſse magnus commentator Auerr in ſua in Porphyr. paraphraſe in principio cap. de accidente dixit; Accidens eſt, quod æſtimatur eſse, & euaneſcere, abſque eo quod æſtimetur corrumpi ſubiectum eius, aut generari. ex qua quidem deſcriptione duę accidentis conditiones, ſeu limitationes, duobus eiuſdem actibus reſpondere uidentur. & in uerbis adeò breuibus bonus iſte Commentator, barbarus licèt, duos, quaſi balbutiens, detexit Porphyr. lapſus; hunc nempe, quem in hac nos concluſione manifeſtauimus; & alterum qui in pręcedente propoſitione fuit enucleatus; quòd ſcilicet Accidens fuerit ab eo diffinitum non ut eſt accidentale prędicatum, ſed ens reale, ſubſtantię contradiuiſum; &

Auerr. diligentia.

ſuis uerbis magis intentionalibus utens Auerr. ſtuduit cenſuram aufugere.

CONCLVSIO XXVI.

Accidētis diſtinctione nulla præmiſſa ſermonem à diffinitione auſpicari (ignoſcat) Porphyr. non debat.

Porph. ab Auicē. reprehenſus.

ACcidentis nomen, quum non ſecus ac aliorū quatuor prędicabilium unumquodque, ex eorum numero ſit, quæ multipliciter dicuntur, meritò ab Auicenna reprehenditur Porphyr. quòd caput de Accidente ab eiuſdem diffinitione exorſus fuerit; peripatetico neglecto ordine, quem in ſingulis aliorum prædicabilium capitibus ſectatus eſt. In illis enim poſt multiplicis nominis uniuſcuiuſque prædicabilis ſignificatorum aſsignationem, illud diffiniens recipiebat, quod uerè propoſito deſeruiebat. Quòd autem accidens multipliciter adhuc dicatur, ex ſuperioribus concluſionibus patuit; in quibus declarauimus, accidens poſſe ſumi realiter, à ſubſtantia contradiuiſum, nouem prædicamentis commune; & intentionaliter, ut accidentale prædicatum, circuens omnia prædicamenta, à quatuor reliquis prædicabilibus diſtinctum. Debuit igitur Porphyr. hoc modo accidentis nomen bipartiens, omiſſo primo membro, ſeu ſignificato, ut ad aliam facultatem pertinente, ſecundum diffini-

diffinire, ſeu deſcribere. Nullo enim modo quintum hoc caput accidens primo modo conſideratum importare poteſt: quia tunc nullum ex nouem prędicamentis Genus eſset, uel Species, uel Differentia, uel Proprium: quoniam Accidentis hic conſiderati diffinitionem tertiam Porphy. ſubdens, dixit illud non eſse genus, nec ſpecies &c. iuxta Ariſt. doctrinam cap. 4 primi Topico. traditam. Si ergo hic de Accidentis primo ſignificato tractaretur, cùm tale accidens contineat ſub ſe nouem prædicamenta, nullum illorum genus eſset, uel ſpecies &c. quod eſt falſiſsimum: quia non minus generum, ſpecierum, & differentiarum ordinationes ſecundum ſub & ſupra, in prædicamentis accidentiũ repeiuntur, quàm in eo ſubſtantiæ. Adhuc etiam, prædicatum accidentale, quod in hac quinta prædicabilium ſede eſset reponendum, in prædicamentis accidentium non haberet locum; quia tale prædicatum eſset idem accidens in nouem prædicamẽta diſpoſitum: quod eſt etiam falſum: quia non minus reperiũtur prædicata accidentalia in prædicamẽtis accidẽtiũ, quã in illo ſubſtãtiæ: quia ſicuti in pdicamẽto ſubſtantiæ hæc eſt prædicatio accidẽtalis, Homo eſt albus, lõgus, dominus, &c. ita in prędicamẽtis accidentis hæc eſt prædicatio accidẽtalis, Albedo eſt marmorea, figura eſt aurea, filius eſt obediens, &c.

Nititur Reuerendiſs. Caietanus ab hac inſtantia Porph. tueri; quia cũ ſermo ſuus logicus eſset, & in logica ſcriberet, quòd logicaliter termini intelligendi uenirent, conſiderauit: & hæc tanquàm per ſe notum dereliquit: quaſi nullam alterius accidentis ſignificati mentionẽ faciens, illud Metaphyſicæ conſiderationi ſubijci pro cenſeſso dimittens, de quo logici nequaquam loquuntur. Sed hæc defenſio, quòd potiùs modeſtè (ut idem ſolet) à Cardinali adducatur, quàm quòd ita ipſe ſentiat, *Porph. à Caietano defenſus.* *Refellitur defenſio.*

arbitramur.ne Porphy. tantus author reprehenſus remaneret; quoniam ſi ipſa haberet locum, multò minus agens idem Porphyr. de genere, illius generis quod eſt principiũ generationis, familiæ, uel patriæ meminiſſe debuiſſet; quibus generis ſignificationibus reiectis, proprium de quo erat intentio ſignificatum, tractandum aſſumpſit; quia per eandē rationem de illis mentio fieri nequaquã debebat; quia cùm in Logica tractaret, eorundem diſtinctionem debebat omittere, ut ad propoſitum non facientia, ut per ſe notum omnibusque clarum erat. Pariter quæ nam cognatio niſi metaphorica, & uana eſt inter ſpeciem de qua Logici diſputant, & eam quæ pulchritudinem importat? quapropter à Porphy. nominis ſpeciei ſignificata ſuperfluè diſtincta ſunt, ut ex illis uerum de quo tractaturus erat, eliceret; quippe cùm de extraneis alijs an conſiderationis eſſent logicæ nemo poterat in dubium uertere; cùm penitus impertinentes in Logica arguerent materias. Hoc quidem cùm factum non ſit, multò minus debuit illam nominis Accidentis diſtinctionem omittere; pace eius & Reuerendiſs. illum protegentis.

Ammo. Porphy. tuetur. Doctiſſimus Ammonius aliam imaginatus eſt pro Porphy. defenſionem; quòd ſcilicet nulla Accidentis ſignificatio eſt, de qua Philoſophi non diſſerant; quare non erat neceſſarium ante diffinitionem, illius ſignificata diſtinguere. *Confutatur tuitio.* Hæc reſponſio tantum interpretem minimè decet; quia & ſi omnia ſignificata accidentis Philoſophicæ contēplationi ſubijciũtur, nõ attamen Logicæ; debebat ergo eã ſolũ tradere deſcriptionē, quæ accidentis ſignificato logico congruebat, de quo tantùm uerba facturus erat Philoſophis Philoſophico omiſſo.

Inſtãtiæ dilutio. Nec ualet illa noſtri Parthenopei interpretatio, quòd per philoſophicã conſiderationē, logicã intellexerit Ammo quia tunc à ueritate eius uer-

ba deflecterent. Non enim probabile eſt aſſerere, omnia Accidentis ſignificata Logicæ conſideratio ni ſubeſse;alterius enim, & altioris facultatis eſt accidens,ut reale eſt,contēplari. Vlteriùs, ſi Ammo nij perſuaſio ſatisfaceret,debebat bonus Porphy. à diffinitione pariter ſermonē de differentia auſpi cari:quod nequaquā factū uidimus. Probatur ſeque la·quia omnia Differentię ſignificata cōſiderationi Logicæ ſubijciebantur(atq; hoc neq; de Generis neq;de Speciei ſignificatis affirmari poſſe,ibi decla rauimus)& tamen in eo cap. de Differentia primò Porphy. diuiſit,& poſtea diffiniuit. Ex qua obſerua tione Corollariū inferri licet,quòd non eſt undiq; tutum aſserere, quòd ſi multiplex aliquod in una facultate tractatur, cui etiam omnia illius tractandi ſignificata ſubijciuntur, illud tale diſtinguendū non ſit. Omnes quidem differentiæ ſignificationes ad Logicum pertinent,&tamen ante diffinitionem diſtinctæ ſunt à Porphy. & tripartitæ. *Notādū.*

Vnde non poſsumus rurſus in hac parte Porphy. non admirari; quando accidens nec diſtinxit in ea ſignificata, quæ etiam ab ipſo Logico cōſiderantur; nā talis diſtinctio nulla debuit occaſione prętermitti; ut ex ea poſtmodum ueram Accidētis ſignificationem,qua de tractaturus erat,ſelegiſset. Accidens nanq;, in commune & proprium accidēs partitur. & Accidens,cui quinta ſedes inter prædicabilia tribuitur,illud eſt quod commune dicitur: alterum uero ſignificatum, in quarto prædicabiliū loco,ipſi Proprio dicato,conſideratur. *Porphy. diminutus.*

Sed pro Porphy. quiſpiam dicet, facti huius cauſam extitiſse,quia cùm priùs de accidente proprio egiſset in quarto capite,non fuit præterea neceſsariū de accidente cōmuni in quinto cap. verba faciens,talē diſtinctionem prępoſuiſse. Hoc tamen diluitur;quoniam,ut in præcedētibus cōcluſionibus *Alia de fenſio Porphy. Confutatio.*

demonſtrauimus , cùm nullam Porphy. Proprij diffinitionem,uel deſcriptionem aſsignauerit,nullibi fit in eo cap. mentio,quòd Proprium ipſum quoddam ſit Accidentis ſignificatum : uel quòd vt quartum prędicabile,& accidentale prædicatum,vt quintum,totam huius nominis Accidentis ſecundo modo ſumpti(non quidem realis)naturam euacuarent;vt monere par erat. Vlteriùs,à ſimili argumentaremur,nec Porphy. debuiſset, poſt aſsignatam primam Accidentis diffinitionem,in ſeparabile illud,& in inſeparabile diuidere;quandoquidem in exordio capitis de Differentia , ubi in communem, & propriam,ac magis propriam Differentiã diuidens , per Differentiam communiter dictam , nil aliud niſi accidens ſeparabile ; & per eam quæ propriè dicitur,nil aliud quàm accidens inſeparabile, uoluit intelligere:ut ex totius illius capitis ſerie innoteſcit ; quemadmodum nos abundè ſatis in quadam concluſione,quæ fuit undecima , exarauimus . Si igitur nihil impediente hoc, quòd accidens per ſeparabile & inſeparabile,in cap. de Differentia fuerat diſtinctum; uoluit idem eadem diuiſione in proprio capite rurſus diuidere , pariter etiam pro eiuſdem cap. clariori cognitione , morem in aliis capitibus ad unguem ſeruatum non negligens, accidens in id quod commune eſt,& in id quod proprium diuidere debuit ; ut accidente poſtmodum Proprio derelicto tanquam eo , cuius iam in peculiari capite factus erat ſermo;clariùs & aptiùs de Accidente communi,quod quintum caput ſortiebatur,diſsereret.

CON-

CONCLVSIO XXVII.

Accidentis diſtinctione poſtpoſita, eiuſdem tractatum à diffinitione exordiens, laudabiliter egit Porphy.

PRęcedenti propoſitioni ſatis quidem euidenter præſens uidetur opponi, cùm contraria ſint ſerie contextę. Sed intimiùs perſcrutanti, nulla inſurget dubitationis occaſio; quoniam pro hoc inſtituto, duplex accidentis fieri poteſt diſtinctio, prima quidem (ceu ex præcedentibus concluſionibus patuit) qua entis naturam cum ſubſtantia diuidebat, nouem ſub ſe prædicamenta continens: & qua accidentale prædicatum, quintum inter prædicabilia locum ſortitum, importabat. Secunda uerò, qua hoc ipſum accidens ſeu accidentale prædicatum, in ſeparabile, & in inſeparabile diuidi poteſt. His ita expoſitis, pręcedens concluſio de prima accidentis diſtinctione uerba fecerat: quę quidem diſtinctio (vt ibi probatum eſt) ante accidentis diffinitionem debuit adduci. De ſecunda autem præſens concluſio intendit: qua profectò diuiſione, in ſeparabile nãque, & in inſeparabile, poſtpoſita, diffinitionem rationabiliter aggreſſus eſt; illamque poſt diffinitionis aſſignationem meritò poſuit: quoniam utrumq; diuiſionis

Accidẽs duplex.

Alterum accidentis membrum duplex.

uiſionis membrum tam ſeparabile quàm inſeparabile,illius diffinitionis rationi ſubijcitur; nam utrumq; poteſt adeſſe,& abeſſe præter ſubiecti corruptionem;ut optime ibi docetur. In reliquis autem prędicabilibus ideo priùs aſſignata fuit nominis cuiusque prædicabilis diſtinctio, & poſterius diffinitio: quia non omnia multipliciaq; illa eiuſdem nominis ſignificata naturam quidditatemq; diffinitionis poterant ingredi; ſed quoddam unum duntaxat,de quo principalior erat eo loco tractationis intentio. Nullo igitur accidentis, huius poſterioris diſtinctionis ſeu diuiſionis, ſignificato,aſſignatam eiuſdem diffinitionem aufugiente, non contemnenda ductus ratione Porphy. diuiſioni præmiſit diffinitionem.

CONCLVSIO XXVIII.

Accidentis ſecundam diffinitionem ſeparabili duntaxat competere, falsò autumat Auerroes.

POſt primam Accidentis diffinitionem, in qua dictum eſt, Accidens eſse, quod adeſt, & abeſt pręter ſubiecti corruptionem; eiuſdemq; diuiſionem in ſeparabile,& non ſeparabile;Porphy. Accidens uolens ſecundò diffinire, inquit, illud eſse quod contingit eidem ineſse,& non ineſse.De his „ duabus diffinitionibus, talia aſserit in ſua para- „ phraſi Auerroes:Et diffinitio prima comprehendit ſeparabile,& inſeparabile; & ſecunda comprehendit ſeparabile tantùm. Hoc quidem dogma (quantum coniectura ſuſpicari poſsumus) uolun-

Auerr. placitum

Confutatio prima.

tarium

tarium potiùs quàm rationabile uidetur. Cùm nulla occaſione deciſset Porphy. Accidens in ſeparabile,& non ſeparabile diſtinguere ; & poſtmodum hanc ſecundam diffinitionem, de qua ſit ſermo, allaturum,dicere,Diffinitur autem ſic quoque &c. & eandem diffinitionem alterum duntaxat præex poſitæ diuiſionis membrum ingredi ; cum præſertim huius ipſe author Porph. minimè commonefaciat. Et qua(quęſo)ratione in huius ſecundæ diffinitionis exordio, uſus eſset illa coniunctione, Quoq;,cum per illam nil aliud velit innuere, niſi quòd eidem ſequens ſecunda diffinitio competitura fuiſſet, cui & primam congruere fuiſſet oſtenſum?at primam utrumq; Accidens deſcripſiſſe, omnibus eſt in confeſſo;ergo pariter & ſecũda vtrumque accidens complexa eſt.

Prætereacùm tertia tradatur Accidentis, poſt ſecundam, à Porphy. diffinitio talis, quòd illud nõ ſit Genus,nec Species, nec Differentia, nec Proprium; ſemper autem in ſubiecto ſubſiſtens,nonne iſta diffinitio, ſicuti prima, omni competit Accidenti,cùm potiſſimũ negatiuè ſit aſſignata? at quare & methodo,inter primam & ſecundam diffinitioné,omni Accidenti congruentem,quandam aliã quæ non niſi accidenti ſeparabili competeret, uoluit interſerere? Et ut ad hominem arguamus,nõne Auerr. totum ex ſecunda, & tertia diffinitione aggregatum, ſimplicis diffinitionis nomine ſecundam uocat? & ut ſic diffinitio illa,quæ ab alijs pro tertia reputatur, & ab ipſo Auerr. pro parte ſiue membro ſecundę diffinitionis,ubi dicitur,Accidés non eſſe genus &c. negabit ne Auerr. quòd Accidenti inſeparabili competat?Sed hoc nequaquã negari poteſt;ergo nec ſecundam diffinitionem accidens inſeparabilę includere negabitur. *Secunda* *Tertia.*

Vlterius rei natura expoſcit, quòd nulli parti- *Quarta*

culæ.

culæ poſitę in ſecunda diffinitione repugnat, quòd poſſit utrique Accidentis membro conuenire; quia æquè accidenti ſeparabili, & inſeparabili, abſque alicuius conditionis diſcrimine, eidem ineſſe & nō ineſſe contingit; & ea inſtantia, quę de inſeparabili poſſet fieri, unico Porphy. in textu adducto uerbo, e medio tolletur; quando dicit, quòd poteſt coruus intelligi albus, & Aethiops candore nitens.

Quinta. Ampliùs, ſi Accidenti inſeparabili prima conuenit diffinitio; eidem conueniet, immo & multò fortiùs ſecunda. Quòd procedat ratio, patet; quia idem eſt dicere accidens adeſſe, & abeſſe; quod dicitur in prima diffinitione; & aſſerere, Accidens ineſſe, & non ineſse; quod concluditur in ſecunda. Sed per Auerr. adeſse & abeſse, congruit utrique: ergo & ineſse, & non ineſse ſimiliter. Et ſi fortaſse

Obiecti dilutio. in hac ſecunda dubitat Auerr. ſub argumento, quo accidens inſeparabile ſemper ineſt, & repugnat inſeparabilitati, poſse non ineſse, quod æquiualet, poſse ſeparari; dubitare etiam Auerr. poterat in prima diffinitione, (ceù Porphy. dubitauiſse patet) de eodem Accidente inſeparabili, an poſſit abeſse; & ſicuti eiuſdem Porphy. ſolutio placuit pro prima diffinitione Auerroi; pariter & eidem pro ſecunda ſatisfacere debuiſset. Vult enim Porphy. ut paulò ſuperius tetigimus, quòd ſecundùm noſtram conſiderationem, poteſt intelligi accidens inſeparabile non adeſse. Sic & à Porphy. inſtructi, poſsemus à pari reſpondere, quòd idem accidens poteſt intelligi non ineſse, & ſi ſemper ineſt. Quòd autem (ut propoſuimus) hęc ſecunda poſſit multò fortiùs accidenti inſeparabili conuenire, quàm prima, claret; quia, Iy Ineſſe, & non ineſse, magis naturam accidentis exprimit, quàm adeſse, & abeſse; quia eius uerum eſse,

eſt

eſt ineſſe; ut in principio ſeptimi Metaphy. docet Ariſt.

Additur, quòd correctior, & limitatio fuit ſecundæ diffinitionis aſſignatio, quàm illa primæ fuerit: quia appoſitum eſt ly, Contingit, quod idem importat, ac ſi diceret, quòd contingat accidens ineſſe & non ineſſe: quæ modificans (noſtro iudicio) conditio non ponitur in prima: quocirca uenit illa intelligenda, quòd de facto accidens adſit & abſit; quod non uidetur ita clarè & abſque dubio inſeparabili congruere. Iſta autem uenit exponenda, quòd ſi non inſit, uel non poſsit non ineſſe, contingit tamen quòd inſit, uel poſsit nõ ineſſe. quæ põderatio (ut ſciunt qui in doctrina Ariſt. uerſati ſunt) magis peripateticum ſenſum ſapit; & ex illo uerbo Contingit, uoluit potentiam inferre Porphy. Accidentis ad ineſſe, & non ineſſe; quæ quidem potentia cùm logica ſit, & aliud non ponat, niſi non repugnãtiam, nulla præ ſe ferre debet difficultatẽ. *Sexta.*

Sed quid tantis moramur? nonne eadem ſecunda accidentis diffinitio præſcripto modo ab Auerr. interpretata, fuerat ad uerbum à Magno magiſtro primo Topic. cap. quarto aſsignata ſub his; Accidens autem eſt, quod non eſt Diffinitio, neq; Propriũ, neq; Genus; ineſt autem rei; & quod contingit ineſſe cuiuis uni & eidem, & nõ ineſſe? quem locum exponẽs ibidem Auerr. licèt idem dicat quod hìc, hanc diffinitionem, ſcilicet, per ineſſe; & non ineſſe, congruere ſolùm accidenti ſeparabili, non uidetur quòd aliqua poſsit muniri arce; immo Ariſt. ueniret reprehendendus, tum quia quod non debebat, tacuiſſet; tum quia cauſa non apparet qua eadem diffinitio non poſsit ſeparabili, & inſeparabili accidẽti æquè competere. Et Ariſt. ibidem dicit, hãc diffinitionem, in qua dicitur, quòd contingit ineſſe & non ineſſe, ea alia in qua aſſeritur, quòd *Septima*

ſit Genus, Species &c. eſſe præſtantiorem: modò, quomodo poſſet eſſe pręſtantior, ſi hæc intelligeret ſolùm accidens ſeparabile, illa uerò utrumque? Nec talem proponere comparationem Principem philoſophorum deceret; quandoquidem illæ diffinitiones per Auerr. non eſsent æqualis ambitus: quia prima omne accidens, ſecunda tantùm ſeparabile diffiniret: at inter paria uerſatur collatio.

Obiectio Attamen poſset quis dicere, quòd adducta ab Ariſt. exempla ibi, ſeparabile accidens arguunt omnia, ut ſedere, album, &c. *Solutio.* Cui reſpondebimus, exēpla hoc non poſse argumentari; immo boni expoſitores ibi, inter quos doctiſſimus eſt Sueſsanus, accidens inſeparabile ab eadem diffinitionem comprehendi colligunt. Habet enim inter alia iſthæc uerba ibi Ariſt. Nam & idem nihil prohibet quandoque album, quandoq; non album eſse. exponentes ergo ly, Nihil prohibet, inquiunt, quòd neceſſitate materiæ aliquod ſubiectum poteſt habere accidens, ut coruus nigredinem, & cygnus albedinem; ſed cum hoc nihil prohibet, coruum non eſse nigrum, & cygnum non eſse album: nam ſi eorū formam ſpectemus, poterit coruus ſine nigredine, & cygnus ſine albedine eſse. Patet ex his igitur, ꝙ neque ab Ariſt. in propria hac accidentis diffinitione, inſeparabile fuit neglectum. *Ammonius noſtræ facit diſputationi.* Verùm ſi doctiſſimū Ammonium in hac controuerſia iudicē appellabimus, tantùm abeſt quòd Auerroi eius diſertiſſima cōmentaria faueant, vt clariſsimè oppoſitū cōmonſtrent, & ſecundam iam dictam diffinitionē inſeparabili accidenti maximè conuenire cōcludāt. Talia nanque Ammo. verba ſcribuntur; Tradit Ac„ cidentis deſcriptionē, longè diligentius quā priùs: „ multo enim meliùs hæc uerba in eadem re, & eſse, „ & non eſse, accidentibus quę ſeparari nō poſsunt, „ conueniunt, quàm adeſse & abeſse. Ecce quomodo

ſecun-

ſecundam, primæ accidentis diffinitioni comparãs Amm. non modò non aſſerit ſecundam non competere accidẽti inſeparabili (ut inculcabat Auerr.) ſed quòd præſtantiùs eademq́ue prima diffinitio de Accidente inſeparabili uerificatur, & ſi utraque de utroque.

CONCLVSIO XXIX.

Quæ imaginatur Burleus, ut oſtẽdat inſeparabile accidẽs diffinitionem accidentis non effugere, riſu potius quàm attentione digna ſunt.

EX prima Accidentis diffinitione, primo eiuſdem capitis aditu a Porphy. appoſita, in qua dicitur illud eſse, quod adeſt & abeſt præter ſubiecti corruptionem; & ex immediate ſequente diuiſione, in qua declaratur, Accidens quoddam eſse ſeparabile, quoddã ĩſeparabile; omnibus obuia egreditur obiectio: cùm ex accidentiũ numero quædã ſint quę inſeparabilia dicuntur, quomodo poſsunt iſthęc, iuxta accidentis communis diffinitionem, adeſse & abeſse? quippe cũ ſi abeſse poſsent, inſeparabilia dici nõ deberẽt. Hanc difficultatẽ ipſemet author Porphy. in textu diluit. quòd ſi inſeparabilia accidentia re uera abeſſe nõ poſsint, ꝙ abſint tamẽ intelligi poſsunt Coruus nanq; poteſt albus intelligi &c. Burleus autem quaſi altiùs rem exorſus, Porphy. mentem eſse exponit, quòd quamuis aliquod accidens ſit inſeparabile, reſpectu alicuius ſubiecti, *Burlei error.*

ſubiecti,eſt tamen ſeparabile reſpectu alterius. & hæc eſt concluſio poſt multas diſtinctiones inutileſque ſpeculationes, quas hìc recenſere inutilius iudicauimus opus. Hæc reſolutio,ultra quòd Authoris nomini conſona, per iocum uidetur aſſignata Porphy. reddit æquiuocationis lapſu corrigendum:quoniam diffinitio,quam Accidentis adducit, duobus eiuſdem membris æquiuocè competeret; & alio modo circa ſeparabile,alio circa inſeparabile ueniret intelligenda: circa ſeparabile nanque,quòd vni eidemque ſubiecto poſsit adeſſe & abeſſe;circa inſepabile uerò, quòd non reſpectu unius eiuſdem ſubiecti diffinitionis rationem ſortiatur,ſed reſpectu diuerſorum. Et quantum iſthæc poſitio à Peripatetica diſciplina, quam hoc opuſculo profitetur Porphy. ſit remota, aliorum ſit iudicium. Vlteriùs in ſuo adhuc robore remanet difficultas·quoniam quęri pariter de hoc Accidente poteſt; quod licèt alicui inſeparabiliter per Burleum contingat,alteri tamen ſeparabiliter aduenit;an reſpectu illius cui inſeparabiliter accidit ſub communi accidentis diffinitione claudatur,an non. Si non;habetur intentum;quia ſcilicet diffinitio non æquatur omnibus diffinitis. Si ſic;cùm à proprio ſubiecto amoueri nequaquam poſſit, (quia ſecus inſeparabile non eſſet) quomodo poteſt adeſſe & abeſſe? & ſic remanet difficultas, ut priùs.

Vera igitur ad prędictam obiectionem eſt reſponſio, quæ ab authore in textu ponitur, nec illa poteſt commodior excogitari; unde ineptæ ſunt (ut arbitramur)Expoſitorum circa ea,poſitiones, opiniones, & perſcrutationes, quæ ipſa textus ſerie enucleantur. Nam inſeparabile accidens, & ſi à ſubiecto cui inhæret abeſſe non poteſt, eius tamen abſentia abſque corruptione ſubiecti intelli-

gi poteſt,

gi poteſt.quæ quidem clauſula ſcilicet, Abſque ſub iecti corruptione,neceſſariò debet ſemper intelligi,quum ea ipſa ſit,quæ quamlibet huius generis difficultatem è medio tollere poteſt.Vnde ſic cõcludere poſſumus , quòd & ſi falſum ſit Coruum eſſe album ; & ſi falſus intellectus ſit, cùm Coruus albus intelligitur;hoc tamẽ falſum non erit:quòd poſſit Coruus albus intelligi , abſque eiuſdem Corui corruptione. ex eo quia Coruinæ naturæ non repugnat quòd ſit alba:unde ad albedinis in Coruo intellectionem,deſtructionis talis naturæ, intellectio neceſſariò ſequi debeat.& quemadmodum accidens , non abſolutè diffinitum eſt,quòd poteſt adeſſe,& abeſſe,ſed cum hac conditione abſque ſubiecti corruptione,pariter & quum de inſeparabili Accidente aſſeritur poſſe ineſſe, & non ineſſe quo ad intellectionem , non abſolutè aſſeritur,ſed cum eadem conditione,Abſque ſubiecti corruptione,ut bis textus repetit.Et ut ſic quidem ſi rem conſiderabimus,nulla ſequetur abſurditas, nulla dubitatio,nulla intellectionis denique falſitas.Poſſet etiam(ni fallimur) eadem ponderatione,dubitatio illa ſatis ardua ſolui , qua quæritur de maſculino & fœminino ſexu ; accidentia hæc enim hominis,ſeu animalis inſeparabilia exiſtũt: nec aliquo modo ab eis,quibus inhærent ſeparari queũt.Hæc quidẽ poſſunt intelligi adeſſe,et abeſſe abſq;eo ꝙ eorũ quibus eueniunt intelligatur corruptio.Nec nobis nimium ſatisfacit, quam ex magno Peripatetico Alexandro ad hæc reſponſionẽ libro primo Topic.affert Sueſſanus;quòd ſcilicet quamuis fieri non poſſit, ut maſculinum & fęmininũ inſint,& nõ inſint ijs,quib. accidũt; eadẽ tamẽ ſecundũ ſpeciẽ poſſunt aliquibus alijs ineſſe,& nõ ineſſe.Hęc rñſio uidet̃ penè ſimilis poſitiõi Burlei in hac propoſitione confutatæ . Nec uidemus,

Notãdũ pro multarũ dubitationum remotione.

Attendẽda difficultas.

Alexandri reſponſio anceps.

 quo-

quomodo maſculinū poſſit ſecūdū ſpeciē aliquibus ineſse &nō ineſse.& ulterius q̄reré de tali maſculeitate eueniente.V.g.Michaeli;& de fœmineitate eueniente huic Angelæ, quorum inſeparabilitas cum diffinitionis accidentis ueritate ſaluari non poteſt, niſi repetita illa conditio, quod poſſunt intelligi abſque ſubiectorū corruptionibus, ad manus habeatur. Vel poſset fortè dici(ſalua aliorū,& ut ſpero digniore opinione) quòd hęc potius dicenda ſunt animalis propria, quam accidentia,& eo pacto quo par & impar, proprium re ſpectu numeri arguūt paſſionem, ita crederemus de maſculeitate & fœmineitate(ut ita loquamur) reſpectu animalis, & ſi talis paſſio non ſit uera proprietas,quoniam materiam,non formam ſequitur;& illud, quo hoc ſuſpicari mouemur eſt, quia ea quæ uerè accidentia ſunt, uel ſeparabilia uel inſeparabilia, determinatā neceſſariāque cauſam,unde ueniant, non habent; at maſculinum, & fœmininum è neceſsaria certaque cauſa proueniunt;& ſi uarij, ſummique authores uarie in ea aſſignanda offendantur,ut diuini ingenij præceptor noſter Ioannes Argenterio in ſecūdo Artis Medicinalis digreditur.

Noſtra opinio, quā omnium iudicio ſupponimus.

Argenterius.

Obiectionis ſolutio.

Dicet quiſpiam à pari nigredinē in coruo &c. non debere dici accidens, quia cum vniuerſi ſpeciei coruinę indiuiduis inhęreat, hoc à certa quadam cauſa proueniet. Sed hęc diſputatio quoniam negocium propoſitum tranſcendit, prætermittenda eſt. Sed unum hoc ſilentio nō obuoluemus,quòd maſculinum & fœmininum, ultra determinatam,quam ſortiuntur originem,neceſſitatem inhęrendi præſeferunt, ut patet, ſpecierum enim perpetuitates abſque illis non ſaluarentur, tantaque in alijs inſeparabilibus accidentibus neceſſitas nobis non offertur: Sed alij iudicent, ſat

ſit monſtraſſe locum. Scimus tamen, quòd multi dicent, illa ſi neceſſitatem maiorem quàm cętera inſeparabilia accidentia uidētur importare, hoc non erit reſpectu indiuiduorum, quibus inhærēt, ſed ſuperiorum ſpecierum. Sed nos neque indiui duis, neque in ſpeciebus, aliorum inſeparabilium neceſſitatem cernimus. At hæc ſatis, ſuperque.

CONCLVSIO XXX.

Quòd multa ſint accidētia, quorum euentus ſubiecti deſtructionem im portent, ob quæ accidētis labefacte tur deſcriptio; qui addubitant, hi ſanè delirant omnes: nec quas affe runt obiectiones intelligunt: unde quamplurium circa illarum diſſo- lutionem ſententiæ ridiculæ ſunt.

NOn deſunt, qui primam à Porphy aſſignatã accidentis deſcriptionem exponētes, multis illam calumnientur obiectis, è quibus poſtmodũ cùm ſeipſos extricare non ualeant, ſeſe potiùs ir retientes, in graues labuntur errores. Fuit prima accidentis diffinitio, quòd adſit, & abſit prçter ſu biecti corruptionem Hanc (inquam) diffinitio- nem magna Expoſitorũ turba friuolis quibuſdã

dubitationibus, omni accidenti non conuenire conatur oſtendere: hac potiſſimum perſuaſione ducti, quòd multa ſint accidentia, quæ cùm ſubiectis adueniũt, illorum penitus abolitionem moliũtur: cuiuſmodi ſunt Febris, Mors, Cõbuſtio, Corruptio, Caluitium, Deſtructio, Annihilatio, & alia multa; quæ cùm accidentia ſint, ſubiecto euenire abſque eiuſdem corruptione nequeunt. quocirca à Porphy. allata accidentis diffinitio, omni diffinito competere minimè uidetur. Nec Burlei reſpõſio, quam fugam dicemus potiùs, eſt ad propoſitũ; quùm uelit, illam partem in qua dicitur, (Præter ſubiecti corruptionem;) determinare alterã diffinitionis partem, in qua exprimitur poſſe accidés abeſſe, & non utramque; & hoc modo determinata ſic exponi debet, Accidens eſt, quod poteſt adeſſe cum ſubiecti corruptione; & abeſse abſque illa. Qua reſponſio quàm ſit ridicula, non oportet ut in præſentiarum demonſtretur; cùm ſtatim Porphy. ſecundam abducens accidentis diffinitioné ex Ariſt. in primo Topic. deſumptam, inquiat, Accidens poſse ineſse, & non ineſse. Præterea ſicuti ſe habet accidentis præſentia circa ſubiectum, ſic ſe eiuſdem abſentia habere debet; & quemadmodum dubitatio probabat, præſentiam aliquorum accidentium, ſubiecti arguere corruptionem, ſic etiam probãdum ſupponitur, de quorundam aliorum abſentia. Vita enim, Optima conſtitutio, ſanitas &c. quæ ſecundum dubitationis curſum accidentia ſunt, (quãdo quidem eorum oppoſita, accidentia eſse dictum eſt) à ſubiecto abeſſe non poſſunt, abſque illius corruptione; & ſic limitans illa particula, Abſque ſubiecti corruptione, nõ modò nõ determinat partẽ illã diffinitionis Abeſse, ſed eadẽ pacto ſe habet circa utrãq;, quia ſicuti mors nõ adeſt abſq; ſubiecti corruptione, ita nec uita

Ridicula Burlei poſitio.

abeſt

abeſt præter eiuſdẽ ſubiecti perditionẽ. Sed iſthęc prætermittamus cùm meræ nugæ uideantur.

Recentiores, aliter hanc nituntur diruere difficultatem; & eo modo quo Porphy. obiectionem de inſeparabili accidẽte ſoluit. Nam quando obijciebatur (ut in præcedẽte propoſitione uiſum eſt) quo inſeparabili accidẽti pars diffinitionis illa, ꝙ poſſit abeſse, congruit; reſpõdebatur, ꝙ licèt realiter accidẽtia inſeparabilia à ſubiectis, quibus inhærẽt, ſeparari nequeãt; cõſideratione tñ noſtra, poſsũt ſeparata, pręter ſubiecti corruptiõnẽ, intelligi. Pariter inquiunt iſti, poteſt ꝑ intellectus operationẽ intelligi taliũ accidentiũ pręſentia abſq; ſubiectorũ corruptione. Hoc quantũ à ſcopo diſtet, nõ oportet ut multis oſtẽdamus, cũ ſecũdæ intẽtiones nõ poſsint in primis non fundari. & cũ oratio nõ dicatur uera, uel falſa, niſi ab eo ꝙ res eſt, uel nõ eſt; modò nõ uidetur quomodo poſsibile ſit imaginari, mortem adeſse ſubiecto, abſq; eo quòd ipſius ſubiecti corruptionem intelligamus; cũ maximam euidentemq; hoc cõtradictionis implicationem importet; quæ eſset, quòd alicui ineſſe poſse corruptionem intelligeremus, abſq; eiuſdem rei corruptione; idq; à ueritate prorſus alienũ nemo (ut ſuſpicamur) nõ affirmabit. Diuerſaq; accidentiũ inſeparabiliũ erat ratio; quoniam illæ rerũ quibus inhærebant, cõſtitutionem nõ argumentabantur, ideo poterant abſq; eiſdem, ſubiecta, cõſideratione cõprehendi; hæc autem de quibus ſermo fit: quoniam eorũ oppoſita, ſubiecta cõſtituũt, neceſſariò quando adueniũt, ſubiectorum præ ſe ferunt deſtructionem. *Confutatio.*

Caietani poſitio. Reuerendiſs. Caietanus alio medio obiecta huiuſmodi diluit, ſupponens triũ generum eſse prędicata, ut omnib. Logicis eſt ĩ propatulo; neceſsaria quidẽ, cõtingẽtia, & remota. Tũc (ut breuibus

expediamur) uult ꝙ cũ Porph. ait, accidẽtia poſse adeſse, & abeſse: intelligit prædicata accidẽtalia, quæ, & contingentia nominantur. Sed Mors, Cõbuſtio, &c. prædicata non poſsunt dici contingẽtia, ſed bene remota. Quæ autem remota ſunt, illam rationem ſibi non uendicant, quod poſſint adeſse abſque ſubiecti corruptione · quod contĩgentium prædicatorum erat duntaxat propriũ.

Confutatio. Sed quum nimis elaborata, & curioſa ſit iſthęc tãti uiri reſolutio, in illã nolumus inuehi; illud tamen ſolummodo quęreremus, ea ipſa prędicata remota, uel ſint accidentalia, uel non. Non põt ſecundum recipi; quia tunc eſsent eſsentialia; ꝙ eſset abſurdius, & extra propoſitum diſputationi præberent inducias, cũ de accidentalibus ſermo fiat. Ergo primum; & ſic ut priùs habetur ĩtentũ; quia talia prędicata, cùm accidentaliter eueniãt, accidẽtiũ rationẽ & diffinitionẽ ſubibũt; & ꝑ cõſequẽs adeſse & abeſse potuerũt abſq; ſubiecti corruptione, & ita ĩ ſuo robore dõnis uis ꝑſiſtet.

Ammonij poſitio. Ammonius doctrina clariſſimus, cuius nos in hac parte expoſitores eſse uolumus, medijs alijs, & Peripateticè quidem ſatis, ac ad omniũ (ut nos cenſemus) Philoſophorum aures, talibus reſpondet obiectis ſupponens primò, quòd eſse & animalis uita in quadam concinnitate ac qualitatũ temperie & moderatione conſiſtit; quæ quidem moderatio corpori aduenit; quando autem eidẽ corpori aliquis qualitatũ exceſsus, uel caloris, ſcilicet ut eſt in febre, uel frigoris; uel ſiccitatis, uel humiditatis aduenit; quoniam talis exceſsus, id quod mediocritatem ſuperuadit, argumentatur, ſequitur quod ab illo moderatio ea, ſeu cõcinnitas, quæ in animalis corpore reperiebatur, illęſo tamen & incorupto remanente tali corpore, cui illa inhærebat cõcinnitas, diruatur & deuaſtetur.

Sic igitur ad inſtitutum reuerſi dicamus, quando febris, combuſtio, uel quod uis talium quæ obijciuntur, corpori accidit; quoniam ex quouis illorum non aliud, niſi alicuius ex quatuor qualitatibus exceſsus inferri debet; ſequitur, quòd ꝑ eiuſdem exceſsus in corpore euentum, tantùm cõcinnitatis ſeu temperiei in illo eodem corpore deſtructio arguatur, nullo autem pacto eiuſdem corporis, quod utrique contrario æquè ſupponebatur. Et ratio huius eſt; quia ſi hęc qualitas illi tẽperiei contraria, corpus deſtrueret ſubiectũ, ſui ipſius deſtructioni ſtuderet; quandoquidem cum nec ipſa, cui ĩſit, habeat(ſubiecto nimirum abolito) quòd nec ipſa ſit neceſſariò ſequitur; vnde qualitati qualitatẽ, & nõ ſubiecto corpori repugnare cõcludebat Ammo. quia ſcilicet ĩcõcinnitas ſeu immoderatio, cõcinnitatis, ſeu moderationis ĩ corpore reptę, & nõ ipſius eiuſdẽ corporis deſtructionẽ ſeu corruptionẽ q̃rit. Quap̱p̱ uera accidentis ꝓſiſtet diffinitio, ꝙ adeſse & abeſse poſſit p̃ter ſubiecti corruptionẽ. Et ſi appareat, quòd ſubiectũ Mors deſtruat; quoniã (ut dictum eſt) ad mentem Ammo. aliter res ſeſe habet. nãq; exceſsus qualitatum quidam, optimam in ſuo genere, ac mediocrem qualitatum diruit mixtionẽ duntaxat; illæſo remanẽte ſubiecto, qualitatibus excipiendis illis contrariis expoſito.

Sed contra hãc determinationem ipſemet in *Ammo. dubitatio.* uehitur author Ammo. quoniã illa ſolummodò probat febrem, combuſtionem, &c. corporis, ceu corpus eſt, non inferre deſtructionem, ac ſi materiam fortaſse primam, corpus illud ſupponeret. Sed ſi ad animatum corpus diſputatiõe dirigeremus, diuerſum dicendi modum requiri uidebimus; quoniam ex febris, mortis, combuſtionis & ſimilium aduentu, non concinnitatis ſeu qualita

tis tãtũmodò ſequitur deſtructio, ſed omnino corporis animati, ſequitur ſic ut prius falſam accidẽti diffinitionẽ à Porphy. fuiſſe tributã quòd abſq. ſubiecti corruptione adeſſe poſſit. Huic difficultati diſertè admodũ ab eodẽ Ammo. ſatisfit; ſuppoſito quod in quinto Phyſ. tex. 1. & alibi pluries docet Ariſt. quòd ſcilicet quatuor ſint mutationes, atq; hoc fiet manifeſtũ his qui in quatuor prædicamẽtis motũ reperiri didicerunt. Inter illas quatuor mutationes, una eſt quæ potiſſima cenſeri debet, quæ in ſubſtantiæ prædicamẽto reponitur; & Proprio generationis & corruptionis nomine inſignitur. atq; huiuſmodi mutationis ſpecies, quæ generatio appellatur, id quod non eſt, efficit ut ſit: & tũc pariter corruptionẽ oppoſito ſe habere modo cognoſcetur; quia ipſa, ea quæ ſunt, occaſio eſt, ut non ſint Et ſic quando de febre, Morte &c. inſtatur, quòd quãdo animato eueniunt corpori, illud corrũpũt; modus accidẽtis in talibus nõ ſeruatᷣ, qđ poteſt adeſſe & abeſſe præter ſubiecti corporis corruptionem; ſed potiùs ſubſtantialis uocata mutatio dignoſcenda occurrit, & quando mutationis in ſubſtantia ſpecies ea eſt qua corruptio dicitur, non habetur aliquid cum accidentali mutatione, quidditatem, commune. Quando ergo alicuius febris uis corruptionẽ molitur, in tali tũc actione, corruptionis quæ eſt ſubſtantialis mutationis ſpecies, rõ elucefcit. At qm̃ dictũ eſt, de natura corruptionis eſſe, ut id qđ eſt, efficiatᷣ quòd nõ ſit; ſequitur, quòd ad febrẽ, interitũ afferẽtẽ neceſſariò ſubiecti ſequatur corruptio, nec ex hoc accidẽtis labe factatur deſcriptio, quia in talibus non accidẽtalis, ſed ſubſtãtialis (ut præfatum eſt) mutatio exercetur.

Einſdẽ reſpõſio.

Noſtra cõmentatio.

Poſſemus igitur ex doctrina Ammo. deſumentes breuiter ad dubitationẽ dicere: quòd cũ omne

accidens circa ſubiectum quandam dicat tranſmutationem, quòd talis tranſmutatio, ut ex quinto Phyſ. 7. & primo Phyſ. 72 & primo de Generatione 18. docemur, duplex eſt, quædam ſubſtantialis ſimpliciter dicta, quædam accidentalis ſecundùm quid appellata. Et ſic quando obijciunt, Accidens poſſe adeſſe, & abeſſe præter ſubiecti corruptionē; reſpondemus, quòd conceditur in tranſmutatione uerè accidentali, quæ & ſecundùm quid à Philoſophis nūcupatur. Febris autē, Cōbuſtio, &c. id genus, arguunt trāſmutationē ſimpliciter, q̄ ſubſtātialiter fit; & ſic dubitatio imperitè erecta, & uerè extra ſcopū & propoſitū, in quo uerſamur, ꝓcedit. *Duplex mutatio.*

Vlteriùs, Ammonij innixi fundamentis, poſſemus ſecundò dicere, quòd in quauis tranſmutatione uel ſubſtantiali uel accidentali, duo neceſſariò exiguntur, & requiruntur, medium ſcilicet, quo illa traſmutatio perficiatur, et effectus qui ab illa iam facta mutatione enaſcitur. Vnde quando ad quod ſubiectum accidentaliter, & ſecundùm quid tranſmutatur; ut uerbi gratia, ex frigore ad calorem, requiritur medium quod conſiſtit in remotione omnium frigoris partium; ad quod partiū caloris introductio ſubſequitur; & tum reperitur etiam effectus, & erit ipſa calefactio, quæ caloris nouam facientis in ſubiecto mutationem effectus, partusque eſt. Pariter in tranſmutatione ſimpliciter, præuia quędam requiritur alteratio, ut clare dicit Auerr. primo Phyſ. 62. ubi poſt multa quę propoſito noſtro faciunt, ita concludit: Vnde neceſsariò generatio ſequitur alterationem. Illaque alteratio, ſe ut medium quoddam ad ſubſtantialis formæ ſuſceptionem habēs, facit quòd ea mediāte noua introducatur forma. Reperitur etiam & effectus, nouā illā formā inſequēs; talis effectus erit q ab Ariſt. primo de Gene. & corrup. tex. 17. & 18. *Duo in qualibet tranſmutatione.*

&per

&per uniuerſam philoſophiam admittitur, quòd ſcilicet ad generationem unius, alterius ſequatur corruptio. Et tunc ad difficultatem, quãdo inquiunt febrem adeſse cum deſtructione ſubiecti; reſpondemus hoc non eſse abſolute uerum, ſed pro tanto; quoniam illa febris, uel quiuis alius i quatuor qualitatibus fit exceſsus ſubiectum ad nouæ formæ introductionem diſponit, ceu quoddam medium, quo pariter præcedentis formę partes recedunt, & ſequentis introducuntur. Neque rationabiliter dici poteſt, quòd ſubiecti corruptio ad febris pręſentiam conſequatur; quia tunc de febris fundamẽto quæri poſset quodnã ſit. Neque ad eiuſdem abſentiam: quia falſum eſset dicere, quòd abſente febre ſubiectũ corrumpitur, ut uel cœco clareſcit. Quum autem arguitur de Morte, combuſtione &c. reſpondetur quòd Mors, nec eſt accidentalis forma ſubiecto adueniens, nec ſubſtantialis, ſed eſt quidã ab ipſa ſubſtatiali mutatione productus effectus; quoniã quidem (ut ab omnibus receptum eſt) nõ poteſt una forma generali, niſi alia corrũpatur; corruptio illius prioris formę, Mortis nomine donatur, ſicq; communiter Mors nuncupatur. Patet itaque mortem effectum eſse, ueteris formę abolitionẽ inſequentem; qui in nouę formę, in eodem ſubiecto, aduentu exoritur. quia uerbi gratia in humano corpore eſt noua forma, nempe cadaueris introducenda; pro huius introductione, & illius præexiſtentis deperditione, media requiruntur quędam, oppoſitas qualitates habentia, illis, quibus humana præcedens forma fouebatur; & taliũ rationem ſubibit febris, combuſtio, & infinitæ cęterę ęgritudines, quæ qualitatum exceſſus uitæ humanæ oppoſitos important; & alterationum ante nouæ formæ introductionem, tanquam media,

Ad dubitationis punctũ.

dia, uices gerunt introducta autem in tali ſubiecto cadaueris forma, ſequitur in ſimul & in inſtāti pręcedentis humanę formæ corruptio: atque hæc tāquam effectus, à naturę neceſſitate requiſitus, M O R S, appellatur; omnibus animantibus non ſecus ac vita peculiaris; cuius aduentui, nec quidem unus ex infinitis Imperatoribus, ac Regibus, è regione fieri ualuit, nec ualebunt poſteri.

Vnde miramur profecto quomodo tāti uiri talibus ineptijs fuęrit occupati, ut huiuſcemodi dubitationes & obiecta, contra diffinitionem accidentis penitus non progredi, nō animaduertētes, in tam uarias (ne dicam ridiculas & à propoſito alienas) inciderunt poſitiones, & reſpōſiones, quibus, eaſdē difficultates è medio tollere conarentur; cùm longè diſtēt dubitationum fomites ab accidentis de quo agitur, natura & ratione. Et quod (quæſumus) ſtolidius fieri illo poteſt dubium, quo quæritur, num corruptio poſſit adeſſe ſubiecto præter ipſius corruptionem, nū annihilatio, num combuſtio, num mors? At hæc de ultimo Prædicabili, & per conſequens de omnibus, concluſa ſufficiant; à quibus ideo lubētiùs nos expeditos eſse plaudamus, quia ultimę huic diſputationi Petrus Caluus patrię præfectus, fraterq; noſter intereſse petijt. Nunc ad ea, quę capite De Communitatibus inſcripto, conſiderāda ſunt, accedamus.

DE COMMVNITATIBVS.

CONCLVSIO XXXI.

Declarans Porphyrius omnibus Prædicabilibus de pluribus prædicari, eſſe commune; ſi nec Genus, nec Differentiam, nec Speciem de Proprio dici docuerit, recta id ratione factum cenſemus.

IN tres pręcipuas ſuam ad Ariſt. prædicamenta introductionem, partes diuiſit Porphy. ſubdiuiſa ſcilicet ſecunda: In procœmium nimirum, & tractatum; atque hunc quidem in eam tractatus partem, in qua propriè de ſingulis agitur prędicabilibus, peculiare unicuiq; aſcribens caput; & in eam in qua de ijſdem communiter conſideratis, ſermo habetur: quam in præſentiarum prę manibus habemus. In hac autem primò, quæ omnibus prędicabilibus competunt, docet: Secundò, quæ ſingulis, ut ſic innoteſcat quid conuenientię, quidue interſtitij vnumquodq; prędicabile à quouis alio obtineat. Volens igitur Porphy. in huius partis principalis exordio, in qua nam re prędicabilia omnia communicent, demonſtrare; inquit, idipſum eſſe, quòd de pluribus omnia prædicentur:

tur;ut uel hinc inſinuaret uniuerſalia hic,ut prędicabilia ſunt,tractari. Verùm dum hoc probare cōtendit,Genus de pluribus ſpeciebus, & omnibus illarum indiuiduis prędicari oſtendit: ſimiliter & Differentiam. Speciem uerò de omnibus quę ſub ipſa ſunt,indiuiduis, Accidēs autē & de Speciebus & de Indiuiduis nulla facta Proprij, quarti prędicabilis,mentione,uel quòd de ipſo prędicetur Genus,uel differentia,uel ſaltem Species,uel Accidēs, quum tamen ueritas oſtendat non minus de illo dici Genus & Differentiam, quàm de Speciebus dicātur:atque hę pariter quum de eorum proprijs congruè prędicentur.Hoc quidem à Porphy.abſque ratione factum eſſe, nemo ſanę mentis affirmabit.

Quæſiti occaſio.

Hanc,profundiorem profectò,Boetius uir clariſſimus quęſtionem uocat, ac illius ſolutionem pręſens Porphy. introductio non exigeret:ſed illam ad aliud differendam tempus eſse conſulit; de his tantùm tyrunculos cōmonefaciens,quòd alia quidem recto ordine prędicantur, alia uerò obliquo.quoniam moueri hominem, rectum eſt: id quod mouetur, hominem eſse,conuerſa locutione proponitur. Vnde eas quidem prolationes quę rectę ſunt,inueniet à Porphy.eſse numeratas: eas uerò quę conuerſo ordine prędicantur, fuiſse ſeparatas. At quoniam hæc difficultas(ut nos quidem arbitramur)iuuenibus ſatis eſt utilis, à Boetio uerò breuiſsimis enodata uerbis, ut confuſio potius quā doctrina tyronum animis innaſcatur: illa quapropter à nobis eſse declaranda opere precium duximus.

Boetij reſolutio.

Noſtra interpretatio.

Pro quo ſciēdum,ut primo Poſt. ex Ariſt. Auerroes tex.com. 148. declarat, prædicatio duplex eſt. Quędam naturalis, quædam accidentalis. Naturalis prædicatio ea uocatur, in qua uel cauſa de cau-

Prædicatio duplex.

de cauſato, uel ſuperius de inferiori, uel accidens de ſubiecto dicitur; & ideo naturalis nuncupatur; (vt alias ſuperius declarauimus,) quia in ea, ſeruato naturæ ordine, ea quæ realiter ſubijci debent ſubijciuntur; & ea etiam quæ opere intellectus debent prędicari prædicantur; atque hoc in quauis trium præcedentium, prędicatione obſeruatur. Accidentalis uerò prædicatio eſt, in qua uel ſubſtantia de accidente, vel accidens de accidente, &c. dicitur; quia in illis, rei naturalis curſus euariatur; ceù ſi dixerimus, album eſſe lignũ, muſicum eſſe album ſeu doctum &c. His igitur ſic præhabitis, intelligendum eſt, Porphy. de illis prædicationibus uerba ſolum feciſſe, quæ naturales appellantur; in quibus aut ſuperiora de inferioribus, aut àccidentia de ſubiectis dicuntur; ijs prætermiſsis, quæ naturales non ſunt. Et ſic, quoniam Genus de Differentia, Speciebus & indiuiduis; & Differentia de Speciebus & indiuiduis, & Species de indiuiduis, tanquam ſuperiora de inferioribus; ac accidens de ſpeciebus & indiuiduis tanquam accidens de ſubiecto, naturaliter omnia prædicantur; ideo has duntaxat prędicationes in medium attulit Porphy. illis derelictis in quibus uel Genus, ſeu Differentia, ſeu Species de Proprio; & in quibus ſubſtantia de accidente dicitur; atque illis, in quibus Accidens de Proprio prædicatur, ubi Accidentis de accidente enunciatio exercetur; quæ omnes iuxta prędictam doctrinam, accidentales ſeu non naturales prædicationes appellantur. Et hæc(ut nos cenſemus) diui Boetij extitit mens; quando de prædicatione recta, & obliqua ſeu conuerſa ſermonem habebat. qui paulò inferius, ab eodem ubi de Generis & Speciei communitate agitur, per hęc dilucidatur;
„ Omne quod de pluribus prędicatur ſi recto (ut ſupe-

ſuperius dictum eſt)ordine dicatur, prius eſt his „ de quibus prædicatur. Modò,idē eſt dicere rectā predicationē illā eſse, in qua prius de poſteriori dicitur(ut docet hic Boetius) & dicere naturalē prædicationē eſse eā,in qua ſuperius de inferiori enunciatur, ut nos ex primo Poſt. deſumpſimus. Quòd autem Propriū Accidens ſit,ob quod prædicationes quas de illo faceret Genus,uel Species, uel Accidens,nō naturales exiſterent;nō eſt opus ut impræſentiarum probetur, cùm de ſe pateat. Neque aliquid obſtat, quòd ex principijs ſpeciei profluat,quo minùs accidēs dicatur; quia ex hoc habet,ꝙ nō abſolutè accidēs,ſed accidēs propriū nuncupetur;ex quo non tollitur,quin accidēs ſit. *Obiectionis ſolutio.*

Hinc fortaſse factum eſt,quòd in eodem loco tacuerit Porphy. prædicationē Generis de Differentia;quia tantùm dixit,Genus de Speciebus & indiuiduis dici,nulla Differentię facta mentione; de qua nihilominus prędicari poſse genus conſtat. Nam differentia, ex eo quia in quale dicitur,qualitatis naturā quoquo pacto ſapit;& ideo ab eodem Porphy.in expoſitione ſuper Prædicamenta Ariſt. per interrogationem & reſponſionem edita,capite 61.differentia ſubſtantialis qualitas(& ſapientiſsimè quidem)appellata eſt.Quū ergo differentia qualitas ſit,licèt eſsētialis,nec de ea naturaliter,(ratione ſuperius de Proprio aſsignata)Genus prędicabitur, & ut ſic exercitationis gratia,ſequens poterit eiſdem fundamentis, eademque defenſione concluſio ſubſtineri: *Notādū.* *Differētia ſubſtātialis qualitas.*

GENVS de Differētia prędicari nō poſse q̄ quidē ꝓpoſitio ultra ea q̄ diximus, maximè ſubſtineri poteſt,ex eo,quòd nec etiā inGeneris diffinitione aliquam de Differentia mentionem fecit Porphy. ſed tantùm dixit illud de differentibus ſpecie prędicari; & ſi dicere potuiſset, Genus *Noua cōcluſio.*

de

de pluribus differentijs, & ſpeciebus prędicari.

Notādū. Vnde animaduertendum eſſe ducimus, quòd multùm differt dicere, Genus prædicatur de pluribus differentibus ſpecie, & dicere, Genus prædicatur de differentijs, & ſpeciebus: quia licet in primo dicēdi modo, à genere prædicationē de differentijs non negari quodammodo uideatur; cōceditur hoc tamen ſub conſideratione, qua Differētię apparent ibi, informauiſſe, & conſtituiſſe ſpecies; & ut ſic reſpectu ad eas informatas ac conſtitutas ſpecies habito, (quandoquidem nō niſi differentijs hæ informantur conſtituunturque) de differentijs prædicatur genus. In ſecundo autem dicendi modo, quia Differentiæ, vt non adhuc informantes, ſiue conſtituentes conſiderantur, ſed tantùm ut nudæ ferè qualitates, generis poteſtatem diuidentes: & ſub tali contemplatione, ad ſpecies reſpectus nō præ ſe ferūt, de quibus genus naturaliter prædicatur. Ideo nec à Porphy. dictum eſt, quòd de illis dicitur genus.

Ex his quoque fundamentis, ſeu cōſiderationibus noua hæc alia poſſet ſubſtineri concluſio:

Noua cōcluſio. GENVS de Proprio poteſt naturaliter prędicari: Intelligendo tamen, ut de Differentia iam iam innuimus, Proprium ut aliquo pacto ſuę innixum ſpeciei: quemadmodū ſi diceremus, Id quod eſt riſibile, eſt animal; vel, Ens riſibile eſt animal, & ſic pro tanto eſt uera prędicatio; quia genus de Proprio enunciatur, vt per illud natura ſpeciei importata ſignificatur, uel conſideratur; de qua quidem ſpecie uerè genus prædicatur, non ſecus ac quū dicimus, Rationale eſt animal; ideo enim uera eſt hęc prędicatio, quia ſub ly, Rationale, infertur, & contemplationi ſubijcitur ipſa ſpecies, quæ in prædicatione naturaliter ſubijci poteſt, & quæ intellectu concipiuntur, ijs quę expreſſe dicuntur

ęquiua-

æquiualent. Ad propoſitum igitur reuerſi concludamus, ueram ſeu naturalem eſſe hanc propoſitionem, Riſibile eſt animal, ly Riſibile, id ſupponente: quod diximus.

CONCLVSIO XXXII.

Proprium primò de indiuiduis, poſt modum de Specie, non ſecus ac Accidens prædicari, perperàm autumat Ammonius.

IN eodem loco, in quo Prędicabilibus omnibus indifferenter de pluribus prædicari, docet Porphy. competere; quum ad accidens demum deſcendit, accidentia ipſa, indiuiduis primo inhærere deque illis dici; conſequenter uerò horum ratione de Speciebus & Generibus prædicari inſtruit, longè differentias quàm erat aliorum prædicabilium ratio, quæ de ſpeciebus primò, de indiuiduis nouiſſimè dicebantur. Hoc quidem monitum, maxima refertum utilitate præceptum, diſertiſſimus nuncupans Ammonius; de accidente duntaxat hoc ipſum non fuiſſe aſſertum, ſed etiam de proprio, in eiuſdem textus expoſitione docet; firmiter ſubſtinens, quòd æquè Propriũ, ac Accidens, primò de indiuiduis, ſecundò illorũ occaſione de Specie prædicari. *Ammonÿ poſitio.*

Hac in diſputatione quòd tantum deferamus uirum, illa, quæ nobis verior apparet, poſitio cogit. Cuius rei cauſa exiſtit diuerſum quod in *Confutatio.*

 Proprio,

Varia in proprio & Accidēte prædicationis ratio. Proprio,& in Accidente reperitur argumentum. Accidens enim ob hoc primùm de indiuiduis enũciatur,quia cùm de illius natura ſit,extraneitatem quandam reſpectu illius cui euenit, inferre; ſequitur quòd primò de re communi uerbi gratia Specie, uel Genere nequaquam dici poſsit. Illud nanque quod talibus naturis vniuerſalibus accidit, quum illis ſub ratione qua vniuerſalia ſunt accidat(ſecus enim ut ſupponebatur non accideret) de neceſsitate omnibus entibus ſub illis uniuerſalibus conſtitutis habebit euenire; quia ea quæ prædicantur,de prædicato prædicantur & de ſubiecto illius prædicati:quòd ſi ita eſset,clariſsime inferretur,quòd illud tale non diceret extraneitatem, reſpectu eorum quæ ſub illis uniuerſalibus continerentur; tùm quia eiſdem neceſsariò (vt diximus)haberet ineſse; tum etiam quia ſub ratione qua proprijs vniuerſalibus, & ſuperioribus in eſsent,potiùs familiaritatem(& vt ita loquamur) affinitatem reſpectu ſuppoſitorum inſinuaret, quandoquidem ad eadem ſuppoſita,cum ratione ſui vniuerſalis deſcenderet. Ex hac etiam ratione concluditur,Accidens omni cõtento ſub illo vniuerſali debere competere,& vt ſic,ſi albedo,longitudo,velocitas,&c. quæ huic uel illi homini competunt, ſecundariò competerent; ex eo quia homini in uniuerſali primitùs competant, omnes homines eſse albos,longos,& ueloces &c. ſequeretur, ob quę,& multa alia,quę ut hìc adducantur neceſsarium non eſt, accidens ex ſui natura debere primò dici de indiuiduis, ſecundò de ſpeciebus,& generibus comprobatum eſt.

Patet hoc inſuper ex ipſorum indiuiduorũ natura:hæc ſiquidem neceſsitate ferè quadam ſibi primitus accidentia uendicant(& ſi non neceſſariò hęc uel illa accidentia, quippe cùm acciden

Accidentia quotomodo quadam neceſsitate indiuiduis eueniant.

tia ſint.) Nam ſi ſecluſis accidentibus indiuidua conſiderabuntur, indiuidua eſse deſinent; quia totum id quod habent, ſi accidentia demamus, eſse commune eſt à Specie deriuatum; unde non habent medium quo, ne quidem vno, differre inter ſe queant: nec etiam ipſum numerum; & ſic (ut dictum eſt) non eſsent indiuidua, quæ inter ſe accidentalibus diſtinguuntur differentijs. Vt igitur indiuidua ſint, quaſdam requirunt proprias qualitates, quędamque accidentia, quibus diſtincto quodam numero, multiplicatiſque ſub illa Specie entibus, numero differentia appareant; ſpecificam communemque illam rationem omnibus præ ſe ferentibus. Ecce ergo qualiter, primò de indiuiduis dicuntur accidentiâ. Et quia indiuidua genericam, ac ſpecificam naturam eſsentialiter includunt; eadem accidentia, ſequitur, de ſpecie, & de genere, in indiuiduorum natura incluſis, ſecundariò, per accidens, ſeu ſecundùm quid, vel per reſpectum prædicari. Quia enim Plato eſt albus, cùm Plato ſit homo, hominem eſse album dicetur, & quia ſub ratione qua homo Plato eſt quoque animal, prædicabitur de animali ad huc albedo; verùm non abſolutè de homine & de animali, & reſpectu propriarum naturarum; ſed quia Platonem conſtituunt, in quo vniuerſales illæ naturę reperiuntur.

Propriū nō de indiuiduis dicitur primò.

Oſtenſo igitur, qua ratione de accidentibus dictum ſit, quòd primò de indiuiduis & poſtmodum de Generibus & Speciebus dicuntur: an eadem fortaſsis, principaliter de indiuiduis & poſtea de ſpeciebus (vt author eſt Ammo.) dicantur Propria, diſcutiendum remanet. At hoc nullo pacto affirmari poſſe cenſemus: Primùm quidem, nec ex ipſius Proprij natura. Proprium nanque nullam reſpectu ſuorum indiuiduorum dicit

extraneitatem; quod patet ex oppoſitis rationibus, illis accidentis aſſignatis: tum quia omnibus vnius Speciei competit indiuiduis; vnde ipſi Proprio eadem, non tanquam extraneo ſubijciuntur indiuidua, ſed tãquam familiariſſimo maximeq; affini; tum etiam quia eiuſdem ortus, ex proprijs Speciei principijs dependet. Proprium enim (ut omnibus eſt in confeſſo) ex ipſa differentia, ex qua conſtituta Species, formataq; Indiuidua ſunt, oritur. indeque perpetuò indiuiduis proprietas pullulat. Nec in hoc eiuſdem Ammonij doctrina poſitioni noſtræ (ut inferius demõſtrabimus) poterit repugnare. Cùm hæc ergo de Proprio uera ſint, illud de Speciebus primùm, tum de indiuiduis prędicari conſequitur, atque de his quidem omnibus; & quauis temporis differentia, & non de alijs, quæ ſub alia ſpecie ab ea cuius ipſum eſt Proprium reponuntur: hæ etenim conditiones ipſi competere neutiquam poſſent, ſi primò, vniuerſali ſpeciei non conuenirent. Quòd ſi indiuiduorum naturam reſpectu Proprij rimabimur, nec illa faciet quò minus poſitio noſtra uera ſit. Non enim indiuidua, ut indiuidua ſunt, & inter ſeipſa differentia (unius tantùm ſpeciei indiuidua intelligendo, quibus ſolis Proprium competit) ſibi ipſis proprium primo euenire, & eorum ratione, ſecundò Speciei expoſcunt; ipſa ſiquidem proprij occaſione, eadem, & quemadmodum ſpeciei participatione, vnum ſunt; tantùm abeſt, quòd per illud indiuidualiter diſtinguãntur. Cùm (ut dictum eſt) Proprium à principijs ſpeciei eſſentialibus profluat, quæ omnibus indiuiduis abſque aliqua diſcretione communicatur; nulla igitur ratio ſiue neceſſitas occurret, qua primò de Indiuiduis, conſequenter de Specie, vel Genere prędicari debeat (ceu neſcimus quã ductus perſuaſione)

aſſeruit Ammonius.

Prętereа, pro huis rationis noſtræ confirmatione, idem græcus expoſitor ſuis in Porphy. elucubratiſsimis commentarijs, tum in exordio capitis de Proprio, tum etiam cùm agitur de Generis cum proprio communitatibus, ipſum Propriũ ſubſtantiæ & accidentis intermedium quoddam nuncupat; ex eo enim (inquit) quia ſoli, toti, ac ſemper ſpeciei conuenit, ſubſtantiæ particeps eſt, quia uerò à ſubiecto, cogitatione diuellitur, accidentibus comparatur. Vnde colligi licet, Propriũ ſpeciei primò conuenire; Proprium eſſe ſubſtantię particeps; Proprium non in alio communicari Accidenti, niſi quia ſubiecto non ineſſe intelligi poteſt: & ex illis breuiſsimis uerbis tota uidetur poſitio noſtra per aduerſarium corroborata; quia cùm hæc ita ſe habeant, nullo modo Proprium, priùs de indiuiduis quàm de Specie enunciabitur.

Propriũ inter ſubſtantiam & accidens medium.

Ampliùs, ex his quæ poſteritati mandauit Porphy. poteſt intentio noſtra muniri. Habet enim ipſe agens de communitatibus Generis & Proprij, quòd utrunque ſequitur ſpeciem, quia ſi homo eſt, animal eſt, & ſi homo eſt, riſibile eſt: & prętereа utrunque prædicatur uniuocè. Modò ſi Proprium ſpeciem inſequitur, qua poterit ratione probare Ammo. quòd indiuiduis primitùs accidat? Et ſi uniuocè prędicatur, quomodo tantam prędicationis dignitatem, ex ſpeciei natura cui primò adueniat, non eſt adeptum?

Vlteriùs idem Porphy. dum Speciei & Proprij communia tractat, utrique commune eſſe inquit, quòd conuerſim prædicetur, quia ſi homo eſt, riſibile eſt, & ſi riſibile eſt, homo eſt. Nunc ab Ammo. quęrere, quomodo conuerſim prædicabitur proprium cum Specie (ut magnus Magiſter etiam

primo Topic cap.4.author eſt) ſi eidem, indiuiduis mediantibus & non primò eueniet. Videtur igitur ex omnibus quę de Proprio aggregantur; ea ratione qua Genus, & Differentia prędicantur de Specie & indiuiduis, prędicari & Proprium; quia ſcilicet vniuocè ęqualiter &c. ſed illa primò de ſpecie, ſecundò de indiuiduis dicuntur; ergo & iſtud, quod ab illis profluens, eaſdem penè ſortitur conditiones.

Tandem ne diutiùs in re (vt nobis videtur) clariſſima immoremur, vbi textus eluceſcit ſeries, non multis egere expoſitionibus aſſerimus. Habet ergo Porphy. loco illo in primis adducto, vbi declarat quo ordine Prędicabilia de pluribus dicantur, hæc de Proprio: „ Proprium uerò „ prædicatur de ſpecie cuius eſt proprium, & de ijs „ quæ ſub ſpecie ſunt, indiuiduis; vt riſibile de homine & de ijs qui ſunt particulares. Et ſic nulla interiecta limitatione aut clauſula, Proprij prædicationem prædicationiſque ordinem expreſſit. Ad accidens autem cùm deſcendit, illud principaliter de indiuiduis prędicari ſubdit; ſecundo uerò loco de his quæ indiuidua continent. & ſic alia eſt ratio prædicationis Proprij, alia Accidentis: parcat Ammonius. Et ponens adhuc Porphy. differentiam inter Genus, & Accidens loco proprio, inter alias hanc eſſe dixit; quòd Accidentia in indiuiduis principaliter ſubſiſtũt, Genera verò & Species naturaliter priora ſunt indiuiduis: & tamen tùm agebat de differentia inter Genus & Proprium, nullam huius fecit memoriam, quòd ſcilicet primò indiuiduis, & conſequenter uniuerſalibus ineſſet Proprium; cuius occaſione à Genere differret, nec etiam agens de differentia Speciei & Proprij, id ipſum teſtatus eſt. Relinquitur igitur, quòd prædicari primò de indiuiduis, &

ſecun-

ſecundò de ſpeciebus Accidenti ſolummodo, & nullo pacto Proprio competit.

Sed ne quiſpiam ſuſpicetur, hoc dogma abſque aliqua cauſa uel fundamento ab Ammo. fuiſſe propoſitum; adducenda eſt ratio qua uir ille motus eſt. Inquit enim, quòd particulares homines, non ob hoc riſibiles ſunt, quia ipſe vniuerſalis homo riſibilis eſt; ſed quia ſinguli riſibiles ſunt, homo nanque in vniuerſali, corporis expers eſt: quare facultatis ridendi particeps eſſe non poteſt. At iſthæc ſpeculatio authoris grauitatem, ac doctrinæ profunditatem non ſapit. Si enim illa ueritati inniteretur, nulla profectò de uniuerſalibus communibusq; naturis erigi poſſet prędicatio realis; nullumq; attributum, ſeu paſſio de Generibus uel ſpeciebus dicetur, quādò & Genera & Species corporibus carent; & per Ammo. ea quę ſunt corporum expertia, proprietatibus non ſubijciuntur: quod quantùm à Peripateticorum ſchola diſſentiat, clarius eſt quā vt à nobis demonſtretur. Adhuc, ſi uera ea eſſet poſitio, ſequeretur, quòd proprium de ſpecie neque primò, neque ſecundò prædicaretur. Si enim quia incorporea eſt Speciei natura communis, de illa primitus non prædicatur Proprium; unde prouenit quòd ſecundariò prædicari liceat? Nū dum primò de indiuiduis enunciatur, corpus natura cōmunis adipiſcitur, de qua iā corporea facta ſecundo loco Propriū dici queat? Amplius, quomodo admittitur, & Porphy. in hac ultima ſuæ introductionis parte ſæpiſsime repetit, Differentiā primò de Specie, & ſpeciei reſpectu ſecūdò de indiuiduis dici; immo ipſemet Ammo. in eadē cōmentationis ſerie, ſed paulò ſuperiùs aſſeris, Genera & Differētias de formis, deq; indiuiduis dici;

Pro Ammo. defenſio.

Impugnatio prima.

Secūda.

Tertia.

ſed ita ut primùm de formis:ſecundo autem loco propter formas de indiuiduis. Nam ſi homo rationis particeps eſt, Socrates quoq; rationem habebit. Hæc ille, à quo libenter diſcipulus audirẽ, quare Differentia primò de Specie, & ſecundò de indiuiduis, & Proprium cõuerſa prędicatione dicitur. Quòd ſi fortaſsis aliquod reperitur inter illa diſcrimen, tale non erit illud quod Ammo. imaginatur, nempe ipſius communis naturę incorporeitas. Sed de his hactenus.

CONCLVSIO XXXIII.

Quæ de genere prædicantur, de Speciebus omnia non dici; nec quæ de his, omnia de indiuiduis enunciari.

QVàmuis concluſioni huic noſtræ, regula quã tradidit Porphy. in capite de Specie opponi uideatur, ubi concluditur, quod quæcunque prędicantur de prædicato, prędicantur & de ſubiecto illius prędicati, ex cuiuſdam uerbi tamen, ab eodem Porphy. in communitatibus generis, & differentiæ poſiti ponderatione, illam regulam non eſſe perpetuò & uniuerſaliter ueram colligitur. Dicit enim ibi Porphy. hoc eſſe generi & differentiæ commune, quòd quęcunque prędicantur de Genere, ut genus eſt, & de ijs quæ ſub ipſo ſunt Speciebus prędicantur, & quæ prędicantur de Differentia, ut Differentia eſt, & de ea

quæ

quę ex ipſa eſt ſpecie prędicabuntur,&c. Iſtam uerborum geminationem intuentes expoſitores, cur facta ſit, inquirunt, et cur dixerit de Genere vt genus, & de Differentia vt differentia, duas attulerunt commentationes, alteram Græci, Latini alteram. Ammonius inquit, Genus, & pariter Differentiam dupliciter conſiderari, uel ut res ſunt; uel ut relationem habent. Et ſic, quæcunque dicuntur de animali, ut res eſt, uidelicet ſub conſideratione qua animal eſt; eadem neceſſariò & de Speciebus, & de indiuiduis quę ſub animali continentur prędicabuntur. Et hoc pacto procedit, quā ex cap. de Specie adduximus, regula. Animal autem conſideratum ut relationem habet, quia vt ſic plura ſunt ipſius attributa, ex illorum numero multa ſunt, quæ de ipſo animali ſolùm prædicantur, dici tamen de ſuis inferioribus nequaquam poſſunt. Nam hac ratione de animali prædicatur Genus, Superius, Triſyllabum, Vniuerſale, Diuiſibile per differentias, et innumera alia, quæ quia de animali, ut animal eſt, non predicantur, ſed potius ut diuerſis quæ in ipſo conſiderantur reſpectibus, & paſsionibus ſubijcitur, de ſuis inferioribus non poterunt enuntiari. Quis enim hominem eſſe Genus dicet? Sortem eſse Vniuerſale? Platonem eſſe per differentias diuiſibilem &c? Ob hoc igitur addidit Porphy. geminationem illam, et hoc ſecundo modo conſideratum Genus eſt in propoſitione præſenti, quòd quę de illo dicuntur, de inferioribus non prædicantur. *Ammo. reſolutio*

Burleus antem et in idem redit, ibi exponit, quòd Porphy. dicens quæ dicuntur de Genere ut genus &c. idem uoluit ac ſi diceret, quæ dicuntur de genere eſſentialiter, eadem dicuntur & de contentis ſub genere ipſo: & ita eſt præcedens regula *Burlei.*

inter-

interpretanda. Modò, ſi iſthæc alia, quæ in medium attulimus, Generis attributa, de illo prędicantur, non tamen eſſentialiter dicuntur; & conſequenter de Generi ſuppoſitis prædicari non eſt neceſſarium; Nam ſic Genus ſecundùm quid, & vt ſecundæ intentionis terminus eſt contemplamur. Hinc magnus Magiſter in Antepræedicamentis, eiuſdem regulę ſententiam conſcribens, ſequentibus vſus eſt uerbis in capite tertio. „Quando alterum de altero prædicatur ut de ſubiecto, quęcunque de eo quod prędicatur dicuntur, omnia etiam de ſubiecto dicentur. Vnde ex hac particula, Vt de ſubiecto, quæ in ea Porphy. propoſitione & tradita regula, fuerat derelicta, prætactę omnes & quotquot ſimiles erigentur obiectiones, facillimè diluuntur; Quandoquidem ſi de animali prædicatur Genus, & Diuiſibile; & de rationali diciturDifferentia, ſeu Quinque ſyllabum; & de homine enuntiatur Species, ſeu Vniuerſale; hęc prædicata illis inſunt, non ut ſubiectis ueris, & realiter exiſtentibus, ſed ut entia rationis & quæ inhærentem animę eſſentiam ſortiuntur; unde tot intentionalibus reſpectibus ſubijciuntur. Illis enim ut ſic conſideratis, ex Intellectus opere multa poſſunt conuenire attributa; quæ nihilominus de ſuis inferioribus poſtmodùm realiter conſideratis, ac propriam realium verorumque ſubiectorum naturam ſupponentibus, nequaquã prędicabuntur.

CONCLVSIO XXXIIII.

Porphyrius, dum prædicationem de pluribus, his uel illis prædicabilibus eſſe communem aſſerit, à propria deflectit authoritate.

VLtima hęc introductionis Porphyrij princeps pars, quę de communitatibus circumfertur, in duas item alias ſubdiuiſam offendimus; in eam ſcilicet, in qua de ijs attributis agitur, quæ indifferenter prædicabilibus omnibus congruere poſsunt; atque talis de communibus communitatibus appellatur; & in eam, in qua, illa quæ peculiariter, prædicabilibus aliquot competunt. quorum ratione, cum talibus uel talibus conueniunt uel differunt, tractantur. In prima ſubdiuiſionis huius parte, prædicabilia omnia in hoc uno communicari, quòd de pluribus enuncientur, Porphy. apertiſſimè demõſtrauit. Inferebatur hinc, in hoc introductorio opere De prædicabilibus, vt uniuerſalia ſunt; uel de vniuerſalibus vt prędicabilia ſunt, generatim agi. Quum igitur hoc Prædicabilium omnium eſſe commune aſſeruerit, in ſecunda eiuſdẽ ſubdiuiſionis parte, declaraturus Porph. quęnã ſingulis prędicabilibus cũ reliquis cõmunitates, ſeu diſcrimina reperirentur; quomodo ſcilicet, Genus cũ Differentia; uel hæc cũ ſpecie; aut Genus cũ Proprio &c. aut cõuenirẽt, aut differrẽt; illa cõmunitas q̃ prędicabilibus cõpetit uniuerſis (noſtro uero quidẽ iudicio) penitus erat omittenda; *Porphy. ſuperflu us.*

ob

ob hanc rationem, quia non eſt duorum duntaxat communitas,ſed omnium ac ſingulorum prædicabilium; nec unum quidem prędicabile exiſtit quod commune tale ſubterfugiat attributum. Quapropter oſtendens Porphyrius, quandam Generis & Speciei conuenientiam eſſe, quòd de pluribus vtrunque prædicetur:atque hoc ipſum idē, de Genere & Accidente declarans;nec non de Accidentis & Differentiæ conuenientia agens: ac tandem eandem communitatem aſſignās, de Specie & accidente quando uerba facit, ſuperfluè quidem ſatis egiſſe cenſebunt omnes. quoniam uel illius communitatis, in quibuſuis binis collatis prędicabilibus debuit feciſse mentionem;&ſic prima illa communitatum pars, tertiæ totius operis parti, tanquam ſuperflua,præponi non debuiſſet; duæ tantùm partes ad totius operis intentionem explicādam ſuffecturæ;uel in nullius prædicabilis ad alterum comparatione,communis illius, à nobis vocatæ communitatis debuit meminiſse. Huius congruitatis occaſio inde pendet,(vt nos putamus)quòd illa communitas, quæ duobus aſſignatur prędicabilibus, ſic reſpectu eorundem ſe habere debet, ſicuti ſe ea habet proprietas, quæ uni competit, reſpectu eiuſdem vnius:nanque illa pro tanto communitas appellatur, pro quanto pluſquàm vni congruit; nihilominus poteſt adhuc illorum duorum eorundem proprietas nuncupari,quia vtrunque illud, talis attributi ratione,vnius ſortitur naturam, & ſi (ceu uerè ſentimus) talis proprietas poſtmodum non habebit conditiones proprietatis quarto modo dictæ, ob alium reſpectum. Modò ſi per Porphy. Generis, & Speciei illud eſt commune, quòd de pluribus prędicentur, ſequetur hanc eandem communitatem cęteris non congruere prædicabilibus, nam

Notādū.

tunc

tunc duorum iam dictorum vera non eſſet communitas. At de pluribus prædicari omnibus, ac ſingulis competit prędicabilibus (vt infinities comprobatum eſt) tantùm abeſt, quod generis & ſpeciei ſit proprietas, quia ſecus à quidditatiua prædicabilium ratione, & nomine deficerent, prædicabilia enim nominantur, & uniuerſalia exiſtũt. Hoc ipſum igitur de pluribus prędicari, Generi & Speciei, tanquàm eorum commune, ac ſi alia prędicabilia ſecluſa intelligerentur, à Porphyrio attribui nullo modo debuit.

Obiectio Dicet fortaſſe quiſpiam, hoc non poſſe contra Porphy. concludere aliquid, nec tantæ præpoſitæ obſeruationi obnoxium fuiſse Porphyrium, nos ſupponere debere, quandoquidem, vt in vniuerſo communitatum diſcurſu patet, multa attributa, varijs prędicabilium collatis paribus, fuerunt aſſignata, nempe vniuocè prædicari, æqualiter participari, &c. quę, tanquam communia, aſſignata Generi & Differentię fuerunt, eademque Generi & Speciei, nec non Speciei, & Differentię, adhuc Speciei & Proprio, huic inſuper & Generi, &c. & ſimiliter, illa alia paſſio, eſse prius his de quibus prædicatur, pro communitate, Generi ac Differentiæ attributa fuit. & huic atque Speciei, nec non denique quàmplura huiuſmodi alia patrata obſeruantur, quemadmodum legentibus ſit obuium. *Solutio.* Huic reſpondendum cenſemus, quòd quamuis dixerimus nos, conuenientias illas, quæ binis prædicabilibus tributę ſunt, eorundem duorum eſse tanquàm proprietates, affirmauimus attamen, eiſdem non ceũ proprietates quarto modo dictę congruere. Vnde, licèt alia prædicabilia in illis communitatibus conueniant, nihilominus non omnia conuenient, ſicuti in illa comunitate, quòd prędicentur de pluribus. Nanque licèt

vniuocè,

vniuocè,& ęquè prędicari Generi & Differentiæ competat: & rurſus Differentiæ ac ſpeciei & reliquis;non tamen cuicunque congruet prædicabili; quoniam Accidenti, nullo unquã tẽpore poterit cõuenire. & quamuis eſſe prius his de quibus prædicantur,Generi & Speciei contingat;& item Speciei ac Differentię,uelGeneri & Differentiæ;reſpectu verũtamen illorum omniũ quibus accidit proprium dicetur:vel hac ſaltẽ ratione, quoniam nec Proprio competet,nec Accidẽti;& ſic de cœteris. Sed ſatis diuerſa eſt illius attributi communis prædicationis ratio, qua de pluribus enunciãtur, quum omnibus ſingulisque prædicabilibus eueniat.Nec prædicabile excogitare licebit, quod de pluribus prædicari non uerificabitur. quoniã tũc (vt præfati ſumus)à prędicabilis eſſentiali quiddi tate caderet,cùm uniuerſalis amitteret naturam.

Obiectio Cœterùm reſpondebit pro Porphy. aliquis, quòd communitas,hęc de pluribus prędicari,duobus illis prædicabilibus pro conuenientia fortaſſis attributa eſt;quia illa duo(hac excepta) in nulla alia conueniebant communitate; quocirca vt processus ſui ordinem exequeretur author inſtitutum,duobus puibusque prædicabilibus,& conuenientiam,& differentiam apportaturus, neceſſitate quaſi coactus illam adduxit vniuerſis cõmuniſſimã Ob quod agens de Specie & Accidẽte,raras

Reſpõſio illorum eſſe communitates cõcluſit.Attamen nos inſtabimus;quòd cùm Generis & Speciei aliæ ſint cõmunitates;vt etiã ipſe Porphy. approbat communiſſima adhuc illa, quòd de pluribus enunciẽtur,fuit adducta; Pariter & in Accidentis & Differentię collatione(ut legenti facilè occurret).Vlterius, ut ipſe met bis fatetur Porphy. nouæ inſuper poſsũt,ultra aſsignatas& ab ipſo enumeratas, prædicabilium conuenientię & differentię inueniri;

niri; ſed illas qnas ipſe attulit ſuffeciſse conſuluit.

Nec obſtat quod pro Porphyrio ex Ammonij commentarijs depromi poteſt;quiGeneris et Speciei exponens communitates, aſseruit,ideo illis, pro commune quod de multis dicantur,fuiſse tributum, quod communiſsimè ſingulis congruit, vt hinc eorundem alia innoteſceret communitas, in qua dicitur,tam Genera quàm Species ijs eſse priora, de quibus dicuntur. Non refert hoc(inquimus)quoniam à pari;cûm demonſtrauit idem author, Genus et Differentiam eſse ijs priora, quorum genus et differentia ſunt; hæc eadem de pluribus prędicari præfari debebat. Hoc enim de illis oſtendit,cûm dixit, perempto genere uel differentia,ſimul perimi ea quæ ſub ipſis ſunt &c. Prętereà (pace doctiſsimi Ammonij) ratio qua unum eſt aliquo prius,non inde ſumitur, quia illud prędicatur de iſto;nam tunc ipſum accidens prius eſset ſubſtantia de qua enunciatur; quòd eſt abſurdiſsimũ, & Ariſtoteli in ſeptimo Metaphy. repugnans,rationique diſsonum:quandoquidem priùs ſubiectum, tum illud quod ei inhæret, eſse debet & ipſe quoque Porphyrius de Generis & Accidentis diſcrimine verba faciens;pariter & de Speciei & Accidentis;ſemper oportere ea, quibus accidentia inſunt præiacere, & præexiſtere teſtatum reliquit;quanquàm de illis accidens prædicatur. Nō igitur ob eam cauſam, Generis & Speciei cōmune eſse dici de pluribus declaratũ à Porphy. fuit,vt Ammonius cenſuit. Et quāuis huiuſcemodi perſcrutationes,humiliores cûm ſint,profunditatē doctrinæ, neceſsariamque frugē ſcholaribus non afferant,protſus nihilominus tanquam inutiles nō dānabũtur, immo tales animaduerſiones tyronũ ingenia,ad ea q̃ magis ſeria ſunt acutiora efficient.Nos .n. quæ Porphy.in hac,De cōmunitatibus

Alterius obiectionis ſolutio.

Ammo. lapſus.

Excuſatio.

tatibus

tatibus uocata tractatione aſſeuerat, perſcrutari minimè decreueramus. quoniam ea, ut puta intellectu clariſsima, interpretatione noſtra haud indigebant. At ne efflagitantibus auditoribus, nolle nos obtemperare uideremur, onus non renuimus, & ſi quę in tali lectura diſcutienda occurrunt, multæ neceſſitatis non ſunt, illis tamen (ut diximus) ſcholarium noſtrorum animos, quòd experti ſumus; ad maiora prouehi confidimus, ac Alexandri fratris mei, & tanquam filij iucundiſsimi, exercitationi quotidianæ cui incumbitur, non erunt incommoda. Nec adhuc Iulio Caluo adoleſcentiori quintoque fratri, quos noſtris his rudimentis, colendiſsimi patris precepto erudiendos ſuſcepimus, pro quibus non minùs quàm pro Domino Cæſare Manardo reliquisvè cęteris auditoribus noſtris literarium hunc laborem ſumpſimus, eruditiorum igitur aures in huiuſcemodi conſiderationibus, indignatione ſemota, quòd uel clauduntur, uel audientes parcant, rogatas uolumus.

CONCLVSIO XXXV.

Quam tradit Porphyrius, de Generis, & Speciei communione agens, animaduerſionem, quòd ſcilicet de Specie, ut tantùm ſpecies eſt, loquatur, prorſus eſſe inutilem.

MOnet Porphyrius, quando cum Specie Genus confert, quòd de Specie quatenus ſpecies eſt tantùm, loquitur; & ſi poteſt Species reperiri, quæ aliarum ſub ſe contentarum ſpecierum reſpectu, generis nanciſcatur rationem; ob id argumentum appellata duntaxat ſpecies, quia ſub alio quodam genere ſuperiore collocatur: cuiuſmodi illæ ſunt, quæ ſubalternæ nominantur. Hanc animaduerſionem, inutilem præſente propoſitione cõcluſimus; quoniam ſanæ mentis nemo diuerſam poterit imaginari, non modò aſsignare ſententiã; quam ob ſuſpitionem, excluſiuis illis, ac reduplicatiuis vti dictionibus, coactus fuerit author Porphyrius; particula nimirùm illa ut, ſeu Quatenus, reduplicatiua nuncupata; & illa, Tantùm, quæ excluſiua à Logicis appellatur. Impoſsibile enim eſt aliquem (ut arbitramur) inueniri, qui ſpeciem, cum genere conferri audiens, ſpeciem ipſam, alio modo quàm ceu ſpecies eſt, conſideratã ſuſpicari audeat. *Porphy. ſuperfluus.*

Cæterùm ſi inſtaret aliquis, de ijs ſpeciebus quę ſubalternæ ſunt, propter duplices quas ſortiuntur

habitudines. Dicemus huic, & omnibus iam manifeſtum eſſe debere, in tali collatione, eam, illius ſubalterni intellectam fuiſſe habitudinem;qua ſuperius reſpiciens genus, ſpeciei gerit uices duntaxat;nanque ſi ſecus,tunc intelligeretur ut genus:& ſpeciem hoc modo generi conferri, idem prorſus eſſet,ac ſi diceretur genus generi comparari. & vt ſic utrunque genus eſſet, ac ſecundùm genericam habitudinem conſideraretur; & quoniam, vt ſic identitatem dicunt,nulla conuenientia,ſeu ſimilitudine donabuntur. Similitudo quandoquidem & conuenientia inter ea uiget,quæ inter ſeſe diuerſa ſunt,non quæ eadem.Cùm enim ſimilitudo,aliquã præſeferat diſſimilitudinem,ſequitur,quòd eadem, ſimilia dici nequeunt.

Inſuper cum Porphyrij conſuetudo fuerit in harum communitatum tractatione,poſt mutuam duorum Prędicabilium oſtenſam communionẽ,eorundem reddere diſcrimẽ, quis potuiſſet unquàm imaginari, quandó inter genus & ſpeciem aſſignatæ traduntur diſconuenientię,ſpeciem ipſam tunc,vt genus,& nòn ut uerè ſpecies eſt,conſiderari debere?Nemo(cenſemus)profectò, qui tamen peruerſi non ſit ingenij;quoniam ex tali imaginatione alioqui falſiſſima, genus à genere differre neceſſariò ſequeretur, cuius intellectionis abſurditas nulli non ſit perſpicua.

Concludimus igitur in huius partis animaduerſione, ac excluſiuæ dictionis appoſitione,Porphyrium, licèt à ueritate non receſſerit, nullo tamen modo, id quod neceſſarium eſſet (ut tantum decebat uirum)enodauiſſe.quinimo(ut prę fati ſumus) ſupflue ſpeciei nomen reduplicatum eſt;ſupflue pariter excluſionis nota illa, Tãtùm, appoſita exiſtit.

Sed quoniam, pręſentis propoſitionis lectio & breuis eſt,& multam ſcholaribus frugem nõ affert; ſumpta

ſumpta igitur ab illa excluſiua dictione, Tantùm, qua in hoc loco vſus eſt Porphy. occaſione; circa ea quæ de excluſiuis, & reduplicatiuis appellatis propoſitionibus, à neotericis logicis aſſertum eſt, aliquantiſper digredi non erit incommodum. Imaginantur profectò nonnulli, ut doctus Chryſoſtomus Iauellus refert; vltra tres illas conuerſionum ſpecies, paſſim ab his qui Summas ędunt, recenſitas, Simplices nimirùm, Per accidens, & per cõtrapoſitionem, quaſdam alias dari, excluſiuas & reduplicatiuas nuncupatas: Ideo nos contra illos, morem noſtrũ ſeruantes, talé erigimus cõcluſioné:

De excluſiuis & reduplicatiuis.

EXCLVSIVAS propoſitiones, aliam à famoſis conuerſionem ſibi uendicare diffitemur. Quartam hanc excluſiuam dictam propoſitionis conuerſionem, nos non admittendam eſſe contendimus, ne entia abſque neceſſitate multiplicentur. Nec uidetur uerum, quod iſti Logici aſſerunt, huiuſmodi excluſiuas propoſitionum conuerſiones, nullius eſſe quantitatis. Si nanque Peripatetici eſſe uolumus, uerasque rerum naturas, non imaginarias perſcrutari; propoſitiones, quę quantitate careant nobis fortè non occurrent: immo ex ueris Logicorum documentis monemur, quòd ſi quę abſque quantitatis ſigno propoſitiones offerũtur, indefinitas eaſdem eſse, & per conſequens non omnino quantitatis expertes eſſe cenſeamus. Sic quoque ijdem ſtatuunt, quòd ad interrogationem de propoſitionum quantitate factam, æquè liceat per indefinitatem reſpondere, ac & per alias quantitatis ſpecies; nempe uniuerſalitatem, particularitatem, & ſingularitatem. Docentes idcirco iſti Logici, huiuſmodi excluſiuæ conuerſionis formã, dicunt, hanc eſse propoſitionem excluſiuam, Tantùm homo eſt rationalis; cuius cõuertenté propoſitioné, hãc eſse aſſerunt, Omne rationale eſt homo.

Noua cõcluſio.

Propoſitio non quanta non dantur.

Nos quidem neceſsitatem non uidemus qua talis propoſitio,ſimileſque reliquæ,uerarum ac famoſarum conuerſionum methodum formamque effugientes,aliam & ab illis uariam efflagitent; quinimo diceremus (ſalua ſemper doctiorum, à quibus diſcere cupimus,cenſura)excluſiuam illam propoſitionem, indefinitam,eandemque affirmatiuam eſſe;quæ conſequenter ut particularis propoſitio, & affirmatiua conuertenda uenit, quum indefinitæ, particulares,& ſingulares propoſitiones vnam ſimplicemque in conuerſionibus ſortiantur legem ; quamuis aliquis in oppoſitionibus poſsit eſſe difficultati locus. Et quoniam propoſitio particularis affirmatiua,ſimpliciter & in ſeipſam conuertitur ; ideo ſimpliciter etiam illa excluſiua propoſitio conuerti debet, hoc pacto. Tantùm homo eſt rationalis, ergo tantùm rationale eſt homo.Non enim aliqua vrget neceſsitas, vt in conuertente propoſitione,ly ſignum, uniuerſale affirmatiuum adiungamus ; cùm præſertim huius farinæ authores, nullius quantitatis eſſe huiuſcemodi propoſitiones,aſſeuerent;& ſi in propoſito exemplo,materiæ,ut puta neceſſariæ gratia, talis conuertens, ad conuerſam illam bene ſequatur.Et rectè diximus, quòd bene ſequitur;quia vt habetur in Hiſpani authoris Summa,ab excluſiua affirmatiua,de terminis tranſpoſitis,ad vniuerſalem eſt bona conſequẽtia;congruentiùs igitur talis propoſitionis paſsio, cõſequẽtia;quã cõuerſio appellabitur.Hinc igitur, ad ſubſtinẽdũ ducimur,excluſiuas ꝓpoſitiones noua cõuerſionis ſpecie nequaquã egere. quũq; taliũ propoſitionũ prædicata,ui,ab illa excluſiua dictione importata,naturã eſſentialem,ſeu cõuertibilẽ, uel certè propriorum attributorum obtineant;ſequitur quòd ad uniuerſalem propoſitionem de tranſpoſitis terminis,procedat illatio; quare (ceu

dixi-

diximus) potiùs conſecutio, quàm conuerſio, ex tali terminorum tranſpoſitione arguitur; & ſi non negamus, in omni conuerſione, conuertentem propoſitionem, ad conuerſam conſequi, vtque formalis conſequentia inferri.

Cęterùm aduertendum hic eſt, quòd propoſitionum paſsiones appellauimus conuerſiones ipſas, quæ ſyllogiſmorum gratia tractantur, ad mentem Ioannis Grammatici; pro quo hanc concluſionem defendere ſoluimus:

CONVERSIO, de qua in Priorum libro agit Ariſtoteles, Propoſitionum paſsio eſt, non terminorum. Multi quidem aduerſus Philoponum imaginati ſunt conuerſionem terminis, non propoſitionibus contingere; ſed quoniam, conuerſionum doctrina non ob aliud tradita eſt, niſi vt una propoſitio aliam cõſequatur, uel alij æquipolleat; vt inde propoſitiones ſiue præmiſſæ, quę in ſyllogiſmis imperfectarum figurarum imperfectorumque ac indirectorum modorum ſunt, ad perfectam figuram, perfectosque modos conuerſionibus medijs, reduci ualeant: ideo eaſdem conuerſiones, propoſitionum paſsiones eſſe rationabiliter ſubſtinere poſſumus. Vltra quòd ipſe Ariſtoteles à capite ſecundo primi Priorum ſæpiſsimè aſſerit, propoſitiones conuerti; prædicatiuam propoſitionem conuerti; priuatiuam conuerti &c. vnde propoſitionibus conuerſiones congruere, concludi poteſt. Sed ſi alicubi dixiſſet Ariſto. conuerſiones eſſe terminorum; Inſurgamus dicentes hoc, ſimpliciter affirmatum non fuiſſe, ſed per accidens: Non enim ſimpliciter & abſolutè terminos conuerti aſſerimus, & vt termini ſunt; ſed ut propoſitionem ingrediuntur, & ad illam perpetuum habent reſpectum. Si qua uerò terminorum aliquo modo dicta conuerſio fuit ab Ariſtotele tacta, huius mentio (ut idẽ

Alia cõcluſio.

Conuerſio cuius ſit paſſio.

Obiecti dilutio.

Philoponus. teſtatur Philoponus libro Priorum ſua commentatione 20. in libro Prædicamẽtorum, habita fuit, per conuerſiones hoc modo commonſtratas, amicus amico amicus; ergo inimicus inimico inimicus: filius patris filius; ergo pater filij pater; magiſter diſcipuli magiſter; ergo per terminorum conuerſionem, diſcipulus magiſtri diſcipulus. At cum eruditiſſimo Sueſsano, luculentis illis ſuper Priora analytica cõmmẽtarijs lib. primo ſua dilucidatione 13. *Sueſſanus.* difficultatem omnem tollentes, huiuſmodi concluſionem proponere poſsemus.

Alia cõcluſio. CONVERSIO Propoſitionum, terminorum, ac animæ paſſio eſt. ſub diuerſis tamen reſpectibus. ſuſtineri nanque poteſt, conuerſionem eſſe propoſitionum paſſionem, quoniam propoſitionibus, ut in ſignis ineſt conuerſio, per illas enim ſignificatur. Terminorum adhuc, quia in illis vt in cauſa reperitur, ſiue vt materia in qua quæuis conuerſionis ſpecies exercetur. Animæ denique paſſio eſt, ut ſubiecti, in quo ipſa eadem recipitur conuerſio.

Sed, ut ad id unde noſtra profluxerat oratio, rẽuertamur, excluſiuas conuerſiones admitti non debere concluſum remaneat, quum præſertim nullã talium fecerit Magnus Magiſter mentionem, & præcipuè in primo Prior, cap. ſecundo, ubi de conuerſionibus ipſi ſermo eſt, ob quam etiam rationem, idem de tertia conuerſionis ſpecie, ab his authoribus qui Summas conſcribunt, recepta, & tractata non ſecus ac priores duæ legitimæ, concludere poſſemus hoc enunciato.

Alia cõcluſio. CONVERSIO dicta per contrapoſitionem, inter conuerſiones recipi minimè debet. Illã nanque Ariſtoteles loco, ubi de propoſitionũ conuerſionibus egit, nequaquam docuit; cuius doctrina cùm diminuta dici non debeat, præſertim

ab

ab his qui Peripateticam profitentur ſcholam, talem nouam conuerſionem imaginariam potiùs, quàm neceſſariam cenſebimus.

Præterea proximior hęc noſtra concluſio ex proprijs omnium talem conuerſionem concedentium, principijs ſubſtineri poteſt: quandoquidem ipſi ijdem authores, ut ueritatem ab ouo exquiramus; propoſitionibus oppoſitiones, & conuerſiones, prò paſſionibus attributuri poſt multas eatundem propoſitionum aſſignatas diuiſiones, in hanc tandem ultimam deuenerunt, dicentes: Propoſitionum quędam ſunt utroque termino participantes eodem ordine; quędam pariter participantes vtroque termino ordine conuerſo. Occaſione à primo membro ſumpta, quatuor conſtituerunt oppoſitiones, in quibus omnibus vtriusque termini ſecundũ eundem ordinem participatio reperiebatur: Contrariam ſcilicet, Contradictoriam, Subalternam, & Subcontrariam. ex ſecundo autem membro, tres erexerunt conuerſiones, Simpliciter nempe dictã, Per accidens, & Per contrapoſitionem; in quibus omnibus participatio etiã utriuſque termini ſecundùm ordinem conuerſum obſeruatur. *Conuerſionũ origo.*

His ergo ſic præmiſſis conſtat, quòd in quauis conuerſionis ſpecie, neceſſariò tam in conuerſa, quàm in conuertente propoſitione, utriusque termini participatio reperiri debet, licèt ijdem termini conuerſo ordine participentur.

Vlteriùs iuxta eorundem Summiſtarum doctrinam, aduertendum eſt; quòd termini qui in utraque propoſitione participantur, ijdem eſse debẽt, identitate non ſolũ ſignificati, ſed etiam uocis, & è cõtrariò, Vnde iſtæ nõ ſunt propoſitiones utroq; termino participantes; Canis currit, & canis nõ currit; quoniã uocis duntaxat retinent identitatem, & nõ ſignificati; ſi prima latrãs animal, cœleſte ſydus

ſecunda connotet propoſitio. Nec iſtę homo currit, riſibile non currit: quia licet ſignificati habeāt identitatem, illa nihilominus uocis carent. Tunc inferimus, quòd ſi talia ſunt fundamenta ab ipſis Summiſtis iacta; quomodo huiuſmodi conuerſio per contrapoſitionem nuncupata admitti poterit; quum duæ propoſitiones, quæ in tali conuerſione reperiuntur, vtroque termino non participent, ſicuti participare deberent? quandoquidem conuerſa propoſitio, terminis participat finitis, infinitis autem conuertens. Modò, quòd inter finitos terminos, atque infinitos identitas non reperiatur, neminem eſſe putamus qui ambigat. Proprijs igitur Authorum fundamentis, talis repugnat conuerſio, identitatem habere quidem finiti termini, cum infinitis nequeunt; quoniam in genere non conueniunt: Et quamuis illi, & iſti, termini nominentur; ratio tamen terminorum quidditatiua, infinitis non ineſt; cùm ſi realiter loqui volumus propoſitionis partes conſtitutiuę dici non poſſunt quando determinati nihil afferant; qua ratione (ut inferius dicemus) è numero nominum, ac verborum, tales terminos ſecreuit Ariſto. Cùm ergo proximo genere finiti termini, & infiniti ſint diuerſi; identitatem minimè ſortientur: ſi potiſsimùm logicè loqui uelimus. Nam ad hoc ut aliqua eadem genere dicantur apud Logicum, requiritur quòd ſub uno genere vnam habeant rationem; & ut ſic rationale & irrationale, mortale & immortale, corruptibile & incorruptibile eadem genere ſunt (vt diximus) ſecundùm Logicum; quia apud Philoſophum aliter concludi poteſt. Nam ſecundùm naturales, ut aliqua eadem genere dicantur, oportet ut in materia cōmunicent; qua ratione corruptibile & incorruptile, quia non communicant in materia, apud Philoſophum eadem genere non dicētur; ex quibus

Quæ eadem uel diuerſa logicè et quæ phyſicè.

bus

bus ita notatis poſſet erigi talis concluſio diſputabilis:

IDENTITAS, uel diuerſitas ſecundùm genus, non eodem modo à Logico, & à Philoſopho ſumitur. Quæ colligitur ex ſancti Doctoris monumentis in fine decimi Metaphy. vbi docet quòd genus, phyſicè loquendo, à materia ſumitur; & quę non communicāt in materia, ſunt genere diuerſa; Logicè autem, nil prohibet quòd conueniant in genere; quatenus conueniunt in una communi ratione &c. Iidemque authores adhuc, à Magno Magiſtro in primo De Interpretatione edocti, infinita huiuſcemodi nomina, à uera nominū ratione ſecludunt; quemadmodum & à uerbis, infinita appellata verba. Si ergo neque nomina ſunt, neque verba; quomodo conuertentes propoſitiones illæ dici merentur, quæ per contrapoſitionem fiunt, ex nominibus ac uerbis infinitis conſtātes? immo fortè nec propoſitionum voce donandæ eſſent. Cæterùm alias ad hunc ſcopum affert Dilucidator in logicis ſuis enunciatis rationes, quas omittimus: tū quia materia hæc ex intento, hoc in loco nō diſcutitur: tum ętiā quoniam his noſtro (ut credimus) marte exaratis contentamur. *Cōcluſio.* *S.Thom.*

Sed quare ipſi Summiſtæ veris conuerſionibus, hanc per contrapoſitionem dictam, annumeraue- runt, ne abſque aliqua perſuaſione, motos illos fuiſſe iudicemus; quòd formalis illa conſequentia, quę inter conuerſam, & conuertentem propoſitionem reperitur (quippe quæ omnibus conuerſionum ſpeciebus peculiaris eſt) fuerit in cauſa, arbitramur. Sic etiam id, quod in duabus Ariſtotelicis conuerſionibus ſimplici ſcilicet, & per accidens, obſeruatum elucet. nempe quòd in neutra, qualitatis aliqua fit mutatio. in prima nanque, quæ ſimplex appellatur, terminorum duntaxat celebrata tranſ- *Sūmiſtarum excuſatio.*

poſitione,

appellatur, terminorum duntaxat celebrata tranſpoſitione, neque quantitas, neque qualitas mutatur: in ſecunda uerò per accidens nuncupata, eadem remanente qualitate, quantitas ſolummodò uariatur. Ita pariter in noua hac per contrapoſitionem dicta conuerſione, nulla qualitatis fit uariatio, nec item quantitatis: ſed tantùm finiti termini in infinitos mutantur. Haud ſecus etiam in aſſertis conuerſionibus illis excluſiuis, & reduplicatiuis, in exordio huius digreſſionis adductis, obſeruatum offendimus; in quibus adhuc nulla qualitatis apparet mutatio. Vnde alia poteſt concluſio ſubſtineri talis:

Alia concluſio. CONVERSIO Propoſitionum nulla datur, in qua qualitatis aliqua fiat uariatio. Huius obſeruationis, quam putamus cauſam, hìc ſubſcribere tentabimus. Qualitas in omni propoſitione, penes affirmationem & negationem attenditur: affirmatio autem & negatio reſpectu propoſitionum quibus eueniunt, quodammodo formam repręſentãt; quandoquidem, ſicut in realibus entibus, & abſolutis, illud formæ obtinet rationem, quod entibus eiſdem eſſe impartit; ſic in entibus rationis, quæ ſecundùm quid entia dici poſsunt; illud quod dat eſſe tale, ſiue ſecundùm quid, formę rationem ſortiri debet. At quoniam affirmatio, & negatio, propoſitionibus dant eſſe; cùm præſertim propoſitio non ſubſiſtat quę iſtarum qualitatum alteram non contineat; ideo affirmatio, & negatio in propoſitionibus, formarum uices adipiſcũtur. Hinc fit, quòd rei ad extra, ob ſui qualitatem, non quantitatẽ cõformatur ipſa propoſitio. Nec talis conformatio habetur, niſi affirmationis uel negationis ui; ab eo enim quòd res eſt, vel non eſt, (ait Magnus Magiſter) oratio dicitur uera vel falſa; atque hoc propoſitionum qualitatem ſupponit. Quo ſic expoſito, cõ-

Cur in cõuerſionibus nõ mutetur qualitas.

uerſio-

uerſionem,in qua ſit qualitatis mutatio, nullo pacto admitti poſse liquet;quia communis ratio,omnibus conuerſionum ſpeciebus competens, eſt formalis conſequentia duarum propoſitionum,vtroque termino participantium ordine conuerſo. Si ergo de quidditate conuerſionis eſt,quòd inter cõuerſam propoſitionẽ,& cõuertentẽ formalis inferatur conſecutio; quomodo propoſitionũ earundẽ, mutari qualitas poterit,& forma? Et ſi in una propoſitione eſt una forma; quomodo in alia poterit eſse diuerſa,& ad primam illam formaliter conſequi?eò maximè, ꝙ hæ duæ propoſitiones,quę ſe dèbent cõſequi,debent eiſdem participare terminis; quod ſi nõ eſset,facilè pateret oppoſitum: quia ad iſtam,Nullum irrationale eſt homo; ſequitur iſta, Ergo omnis homo eſt rationalis; tamẽ huiuſmodi illatio non eſt ea quę exigitur in propoſitionum formandis conuerſionibus.

Cùm igitur conuerſionem per contrapoſitionem dictam,ueram conuersionem non eſse concluſum ſit;& quibus perſuaſionibus inter conuerſiones eandem enumerauere Summiſtę,poſset aliquis quęrere,cur fuerit a doctoribus admiſsa; vt ab Ariſtotele ex ſecundo Topic. Dilucidator in primo Priorum deducit,à Boetio,Auerroe & alijs?Reſpõdere poſsemus,quòd tales nomen huius conuerſionis non intellexerunt adeò preſsè, ceu Summiſtæ, contra quos digreſsi ſumus; qui (ut demonſtrauimus)in omni cõuersione reperiri debere utriusq; termini ueram identitatem autumauerunt; quam quidem identitatem in conuerſione per contrapoſitionem aduerſus eoſdem non ſeruari probauimus;quãdo in illa finiti termini in infinitos cõuertantur. Vel cum Dilucidatore in ſuis ludicris, dicemus graues illos authores, per talem conuerſionem intellexiſse conſequentiã,quę in hypothetica *Dubitationis ſolutio.* *Sueſſanus.*

condi-

conditionali reperitur. Hæc enim potiùs uidetur conditionalis propoſitionis conſequentia, Omnis homo eſt animal; ergo omne non animal eſt non homo. vbi intelligenda illa eſt particula conditionalis, Si, eſtque talis conditionalis uera: quia ad antecedens, cuius uices conuerſa propoſitio gerit, ſequitur conſequens, quod per conuertentem importatur: cumque uera ſit, ſequitur etiam neceſſariam eſſe: iuxta illam Summiſtarum regulam, quòd omnis conditionalis vera, eſt neceſſaria; & omnis conditionalis falſa, eſt impoſsibilis; quanquàm nos contra ſecundam huius regulæ partem, talem ſubſtinere concluſionem ſolemus:

Alia cõcluſio. QVI EX Summiſtis conditionalem omnem falſam, impoſsibilem pariter eſſe aſſerunt, hi propriam ignorant vocem. Huius diſcuſsionem rationabiliter omitteremus, quum debitum ſit adepta lectio finem, niſi Alexander, & Iulius Caluus fratres, tyroneſque alij, quibus horum rudimentorũ enucleatio maxime conducit reclamarent. Breuiter igitur dicamus, falſam eſse illius præallegatæ regulæ poſteriorẽ partem; per ea quæ Petrus Hiſpanus eiuſdem regulæ author immediatè ſubdit, his uerbis. *Hiſpanus incõſtans.* Ad falſitatem conditionalis ſufficit, quod antecedẽs poſsit eſſe ſine cõſequente; ut, Si Sortes eſt, albus eſt. Modò, ne ab hoc eodem exemplo recedamus, demonſtremus intentum; hæc conditionalis per ipſum, eſt falſa; Si Sorteſt eſt, albus eſt; ergo per regulam eiuſdem Petri Hiſpani immediatè præaſsignatam; in qua dicitur, omnem conditionalem falſam eſse impoſsibilem, ſequitur quòd explicata illa conditionalis ſit impoſsibilis & tamen id affirmare, erroneum nobis uidetur; quia poſset eſse uera; unde potius contingens, quàm impoſsibilis dici debet. Deceptus (ut credimus) ab æquiuocatione ſub illo termino, Falſitatis, latente fuit Hiſpanus.

nus.Nam quando in una regula,eademque prima, ſanciuit, quòd ad falſitatem conditionalis ſufficit, quòd antecedens poſsit eſse ſine conſequente;formæ,hypotheticæ conditionalis falſitatem intellexit;quando autem in alia ſtatuit,omnem conditionalē falſam eſse impoſsibilē, eiuſdē propoſitionis cōditionalis,falſitatē materiæ animo cōcepit;quia quando materia eſt falſa,bene ſequitur, quòd propoſitio ſit impoſsibilis,ſimiliter etiam quò ad materiam;non autem quò ad formam. Hæc nanquē quò ad materiam; eſt falſa & impoſsibilis,Si homo eſt aſinus, homo eſt rudibilis: & nihilominus quò ad formam, non eſt falſa; recepto eo axiomate pro ſuppoſito, quòd conditionalis, nō ponit in eſse. Similiter quoque hęc eſt falſa quò ad formam; Si Sortes eſt,Sortes eſt albus; quoniā antecedēs poteſt eſse ſine conſequente; verùm tamen non eſt impoſsibilis,quò ad materiam,quum nullam arguat impoſsibilitatem,albedinis in Sorte inhærentia, ut patet. Falſum eſt igitur dicere, omnem conditionalem falſam,eſse impoſsibilem, ſicuti falſum eſse hæc noſtra propoſitio concludit. Immo quandam aliam, ex his quę hic congeſsimus concluſionem erigemus,ſic:

CONDITIONALIS impoſsibilis non datur; immo omnis eſt neceſsaria. Supponentes tamen conditionales ipſas quò ad formam ueras, & quòd conſequentis oppoſitum non ſtet cum antecedente.Hæc enim eſt ratio & quidditas ueræ cōditionalis,quod antecedens non poſsit eſse uerū ſine conſequente. Ex quo noſtrę concluſionis ſequitur ueritas; nullam ſcilicet conditionalem eſse impoſsibilem. *Alia cō cluſio.* *Ratio ueræ conditionalis.*

Obijciet aliquis;Hæc eſt conditionalis, Si Sortes eſt homo, Sortes eſt currens, et tamen non eſt neceſsaria.Reſpondetur, quòd in ipſa deeſt ratio *Obiectionis ſolutio.*

vera

CONCLVSIO XXXVI.

Hanc ipſam præcedentis concluſionis animaduerſionem exponens Ammonius, quòd ſcilicet ob eam ſpecialiſsima ſpecies negligenda ueniat, deceptus eſt: tantùm abeſt, quòd illam, maxima (ut putat) ratione à Porphyrio adductam ſuſpicemur. Nec Boetius ab Ammonio diſcrepans, ac ſubalternã ſecludẽs, ueritatẽ nactus uidetur. Parcãt tãti uiri.

ET si agens Porphyrius de generis & ſpeciei collatione, ſpeciem ceu ſpecies eſt tantùm, intelligi debere(quemadmodum in præcedente notauimus cõclusione)inutiliter, & abſque neceſſitate cõſuluit; nihilo tamen minus, circa huius ſpeciei significationem, Ammonius, & Boetius diſertiſſimi interpretes digladiari videntur. Ammo enim(vt ex breuiſsimis ipsius in hac parte cõmẽtariis elicere poſsumus) inquit, ꝙ per ſpeciẽ Porphy. hoc in loco nõ intelligit eã, quæ ĩfima eſt, à Latinis ſpecialiſsima paſsim nũcupata; cuius rationem eſse vult, quia cum ſpeciei, de qua agitur, pariter & generi *Ammonij ſentẽtia.*

præ-

prædi cationem de pluribus conuenire dixerit, ſequitur, quod ſpecialiſsimam non intellexerit, quippe quæ de multis nõ prædicatur. Nec (inquit) eam intelligit ſpeciem, quę genus & ſpecies eſt; ſed id, quod cùm medium ſit, vt ſpecies tamen, non vt genus ſumitur, ac si diceret (ut nos opinamur) quòd ſpecies vt ſubalterna eſt, uenit intelligenda, ſed ea non ut utranque poſsidet habitudinem, genericã ſcilicet & ſpecificam, ne duorum generum fieret comparatio, ſed ut ſpeciei duntaxat habitudinem continet.

Prima impugnatio. Hoc (pace Ammonij) non eſt ad mentem Porphyrij, nec iuxta eam, quam putamus, ueritatem enodatũ. Quod probatur primò, ſuppoſito quòd eadem quinque prędicabilia, hic ut ad inuicem ſe habent, tractentur, quæ ſeorſum in proprijs ſingulorum capitibus declarata, & definita ſunt, quia ſecus æquiuocus eſset Author, alia ſeiunctim, & item alia coniunctim conſiderans. Tunc ſic. Illam ſpeciem hic Porphyrius cum genere comparauit, quam in proprio Speciei capite, tanquam vni ex quinque Prędicabilibus aſcripto declarauit, & diffiniuit, ſed Species vt vnum ex quinque Prædicabilibus conſiderata, & in capite eidem Speciei nuncupato declarata, fuit illa quę appellatur ſpecialiſsima, principaliter, ea autem quæ ſubalterna eſt, ſecundariò & conſequenter, igitur & in præſenti ſermone, cęteris prędicabilibus Speciem conferens, primò ſpecialiſsimam ſpeciem intellexit, conſequẽter autem & ſubalternam, vel (ut nonnullis condonemus) æquè ſaltem hic & ibi vtraque conſiderata fuit. Quapropter inquiens Ammonius, quòd cùm Species Generi confertur, intelligenda ſubalterna ſit, & quę infima ſiue ſpecialiſſima nominatur negligenda: germanam intelligentiam uidetur quòd non ſit conſecutus. Quòd autem utraque Spe

cies

cies in peculiari tractatione & capite examinata fuerit, uniuerſam eiuſdem capitis ſeriem intuenti elucet: immo(ut diximus) de ſpecie ſubalterna nõ niſi conſequenter tractatum fuiſſe apparet. Nam uolens ibi Speciem diffinire Porphyrius, dixit, eam eſſe quę de pluribus differentibus numero prędicatur. Sed quoniam in qualibet prędicamentali coordinatione, quædam reperiũtur quæ ſub Generibus collocata, prædicari adhuc de differentibus ſpecie queunt; vnde primi ratione ſpecies eſſe cenſentur; occaſione uerò ſecundi genera; uidens Porphy. quòd talibus ſpeciebus, quaſi ſecundùm quid ſpeciebus appellatis, illa diffinitio non congruebat, quandoquidem hæ non de differentibus numero ſed ſpecie enuntiantur, hinc nacta occaſione dixit, illã diffinitionem, Speciebus eo modo dictis, quę ſcilicet eſſe adhuc genera poſſent, non conuenire: & ſubinde, rei quaſi congruitate motus, dictarum ſubalternarũ Specierum enucleauit naturã. vt plurimùm tamen, tam quò ad enarrationem, quàm etiam quò ad exemplorum aſſignationem, ad Species ſpecialiſſimas animum uertens, ad illas præcipuum dirigebat ſermonem, ac ſi eiſdem potiſſimùm ſecundi prædicabilis ſedes & caput, quodam quaſi iure competeret.

Præterea, illa Species, in hac de communitatibus tractatione præcipuè conſideratur, quæ magis à generis diſtat natura; ut clariores inter ipſa conuenientię, & differentię reddantur, ac redditę cognoſcantur; ſed talis maximè ſpecialiſſima exiſtit ſpecies; quandò ſubalterna(ſecluſa ea participatione qua cum ſpecialiſſima communicat) à genere pene nihil diſtet, quinimo genus euadit: ergo de ſpecialiſſima hìc principaliter ſumitur contemplatio, non modò talis(ceu Ammonio placuit) non negligitur. *Secunda*

O Adhuc,

cialiſsima exiſtit; ergo id quod prius. Maior probatione non indiget. Minor declaratur. Volens Porphyrius concludere inter Speciem & Proprium differentias, hęc dixit: Quorum diffinitiones ſunt differentes, & illa differentia oportet ſint: ſed diffinitiones Speciei & Proprij, ſunt differentes; ergo id quod ſequitur. Et explicans idem author Speciei diffinitionem, aſseruit: Eſt autem Speciei quidem ſub Genere eſse, & de pluribus, & de differentibus numero in eo quod quid eſt, prędicari, &c. At talis diffinitio non modò Speciei ſpecialiſſimæ potiſſimùm competit, quod ad corroborandam poſitionem noſtram ſufficeret; ſed nulli alteri ab ea: ergo inconſultò Ammonius (parcat digniſſimi interpretis authoritas) ſpeciem infimam, quam Latini ſpecialiſſimam nuncupant, hìc non fuiſſe conſideratam autumauit.

Amplius, omiſſis huiuſmodi authoritatibus, ſi Porphyrius ſpecialiſſimam ſpeciem non intellexiſſet, fuiſſet profectò diminutus. Probatur conſequentia: quoniam de omnium prædicabilium collatione tractaturus (ut in fine capitis de Accidente pollicitus eſt) nullam feciſſet de ſpecie ſpecialiſſima, quæ ſecundum eſt prædicabile, mentionem. *Septima*

Inſuper àd principale; nulla eſt Ammonij ratio, qua ductus Porphyrium hic Speciem ſpecialiſſimam non intellexiſſe ſubſtinere contendit: nulla igitur pariter eius èſt determinatio. Conſequentia tenet. Probatur antecedens: quoniam huius ratio fuit, quia ſpecialiſſima Species de multis non prędicatur: unde nec illa eſt, (ait Ammonius) quæ cum Genere confertur: nanque de Genere, & ea Specie quæ cum genere comparatur, dictum eſt, quòd habent pro communi de pluribus prædicari. Nullam (inquimus) *Octaua.*

hanc eſſe rationem;quia,ut paulò ſuperiùs aſſerui-
mus,ac etiam in Speciei ſpecialiſſimæ geminata dif
finitionè,in capite de Specie à Porphyrio aſſignata
patet; Species de pluribus eiſdemque numero diffe
rentibus prædicatur: atq; huiuſmodi de pluribus
prædicatio,omnibus, ſingulisque, prædicabilibus
pro communiſſima communitate fuit attributa.
Iſtaque eſt formalis ratio, & conſiderandi modus,
quò prædicabilia in hac introductione perſcruta-
tur Porphyrius,quatenus ſcilicet vniuerſalia ſunt:
quæ profectò talia non eſſent, ſi de multis non dice
rentur. Nec negare poterit Ammonius,hanc ſpecia
liſſimam Speciem de omnibus ſub ſe poſitis indiui-
duis enunciari: at illa infinita eſſe,non modò plura,
in capite de Specie Porphy. teſtatum reliquit. & ſi
uerè infinita eſſe,admittendum non eſt.

Nona. Tandem,ita non eſſe ut Ammonius ſibi ipſi per
ſuadet,textus literę indigitat ſeries. Hæc nanque
ſunt Porphyrij uerba. Genus autem & Species,
commune quidem habent de pluribus prædicari.
Sumatur autem Species, vt Species tantùm non
etiam vt genus,ſi fuerit idem Species & Genus. Ex
quibus(quantùm ſuſpicari poſſumus)Porphyrium
Speciem,quatenus Species tantùm eſt, conſiderauiſ
ſe,putamus; ideſt ſecundùm eam habitudinem ſo-
lùm,qua Genus reſpicit atque ſuperiora.Modò ſi,
ut ſic ſubalterna Species venit intelligenda, uel nõ,
nos non inquirimus,immo eam poſſe intelligi affir
mamus. Sed quòd per talia verba ſpecies ſpecialiſ-
ſima(vt Ammonii fert opinio)excludatur, hoc nos
abſurdiſſimum eſſe concluſimus; quoniam ipſa con
ſiderari poteſt, immo uerius quàm ſubalterna, ut
Genus, & ſuperiora ſolùm reſpicit.utque hanc ſolã
retinet habitudinem, ceù diffuſiùs in concluſioni-
bus,quæ ſuper caput de Specie erectæ ſunt,enuclea-
uimus. Quum igitur hoc ſpecialiſſima Species Sor

tita ſit, quòd ut Species ſolùm conſiderari poteſt, &(vt conſtat) veriori modo, quid prohibet quò minus verborum Porphyrij contextus, eam ſupponat intellectam? quin potiùs eam præcipuè intellexiſſe, eam autem conſequenter quæ ſubalterna nominatur, ingenioſus prorſus aſſeret.

Boetius autem longè ſecus quàm Ammonius, quin potius iſti tanquàm oppoſitus, Porphyrium ſpecialiſſimam tantùm Speciem intellexiſſe, & nullo modo eam, quę ſubalterna dicitur, firmiſſimè tenet, ac tali innititur fundamento; quia ſi Species ſubalterna cum Genere in comparationem deſcenderet, nec non eiúſdem cum Genere communitates aſſignarentur; nihil aliud hoc eſſet, niſi, quid cum ſeipſo genere communitatis genus habeat, velle indagare. Atque hoc quam pariat abſurditatem (ne monſtrũ dicamus) omnibus eſt in cõfeſſo. Nos autem, & ſi Ammonij poſitionem reijcientes, hanc ipſam Boetij ſuſtinendam ſuſcepiſſe iudicemur: nihilo tamen minus ipſi adhærere nõ poſſumus; quandoquidem ideo in Ammoniũ digreſſi fuimus, quia Speciem ille ſpecialiſſimam ab hoc communitatis loco penitus ſecluſam declarauit; Porphyrij ſermonem de ſubalternis duntaxat factum eſſe inani perſuaſione decernẽs. Cuius oppoſitam multis nos demonſtrauimus; uerum tamen ex tali impugnatione ſubalternas adhuc Species (ut ſępe ſæpius repetitum eſt) fuiſſe cõſideratas, minimè negauimus. Quapropter vt errorem (pace ſuæ eloquentiæ) quemadmodum in poſteriore noſtræ concluſionis parte, affirmauimus diui Boetij detegamus; ſubalternas ſpecies non (ut ipſe docet) Specialiſſimis duntaxat receptis, fuiſſe neglectas indicabimus.

Boetij opinio.

Confutatio.

Vniuerſam nãque harum communitatum lectionem diſcurrentibus, ne quidem vnum Speciei attributum conceſſum eſſe, quo ab alio quouis prædica-

Prima ratio.

afferemus,ſufficit oſtendiſse modò,id quod rationi conſentaueum eſset,ut à Porphy. obſeruaretur, ex eius doctrina fuiſse obſeruatum.

Inſuper quemadmodum textus Porphy. ſeries Ammonio non fauere expoſuimus; demonſtremus etiam,nec pro Boetio eandem facere;hęc enim ſunt (ceu diximus) Porphy. verba: Sumatur autem „ Species ut Species ſolùm, non etiam ut Genus; ſi „ fuerit idem Species genus. Modò, licèt ex ijs in- „ telligatur ſpecialiſsima Species,(quum uelit ſecundùm unam habitudinem tantùm conſiderandas Species, eam nimirum qua ſuperiora reſpiciunt,) nihilominus ſubalterna non excluditur: nanque ex verbis elicitur, quòd ſi reperitur aliqua Species cum Genere conferenda, quæ cum hoc quòd eſt Species,poteſt adhuc eſse Genus;talis Species duntaxat vt Species, & ut habitudinem ad Genus, & ad ſuperiora tantùm habet, in huiuſmodi collatione conſyderetur; ergo ſubalterna Species, una plures retinens habitudines à conſideratione non reijcitur; dummodò eidem contemplationi ſimplex ſubijciatur reſpectus; quia ſecus generi genus compararetur,dum aliam eiuſdem ſpeciei conſiderationem tractaremus. Vnde inter extremas has grauiſsimorum interpretum poſitiones, Boetij nempe tenentis Speciem ſpecialiſsimam, omiſſa ſubalterna,fuiſse conſideratam,& Ammonij aſſerentis ſpecialiſsimam Speciem, recepta ſubalterna, fuiſse neglectam;media poteſt aſtrui; quod ſcilicet tam ſpecialiſsima quàm ſubalterna tractationi Porphyrianæ huic,de prædicabilium communitatibus & differentijs ſubijcitur; ac utranq; idem author comprehendendam ſuppoſuit;ut rationes in utranque poſitionem extremam erectæ, nec non geminatam contextus dilucidationem adductam, ſatis probauiſſe conijcimus. Verùm re-

Quarta. *Vera poſitio.*

cipitur ſubalterna, ſecundùm vnam habitudinem duntaxat, quia ſuperiora reſpiciens, Species ſolùm eſt, etſi Genus eſſe adhuc poteſt; quòd, & ex literę ſerie deducitur, & ab ipſo Ammonio non negatur.

Dubitatio. Sed aduerſus nos dicet fortaſſis aliquis, ex his q̃ hìc congeſta ſunt multis, concluſionis noſtræ præcedentis deſtructionem ſequi. Ibi enim nos concluſimus Porphy. inutiliter monuiſſe, quòd hic de Specie, ut ſpecies eſt, loquitur; & hìc, eiuſdem dicti interpretationi uerę indagandę, inſudamus. Attamẽ

Solutio. reſpondemus in proprio robore permanere illam; quoniam hæc concluſio tantùm diſputat cum Ammonio, & Boetio perperàm monitum illud exponentibus; utcunque illud tale ſit, uel utile uel (vt nos putamus) ſuperfluum; cuius deciſio, & ratio, præcedente ea concluſione inuenitur; nam ſiue ſuperfluum, ſiue neceſſarium fuerit, hoc ibi fortè patuit. Nec ſequitur, quin uel bene uel malè, potuiſset exponi; circa quod præſentis propoſitionis diſputatio uerſata eſt; quum pręſertim nos ibi idem monitum falſum fuiſse nequaquam cõcluſerimus, etſi inutile prorſus.

CON-

CONCLVSIO XXXVII.

Primam Speciei & Proprij differentiam, in qua Speciem, aliorum poſſe eſſe genus dictum eſt, Proprium uerò & aliarum ſpecierum eſſe proprium, impoſsibile eſſe; ſi ſilentio Porphyrius inuoluiſſet, conſultiùs egiſſet.

QVòd rectius fecisſet Porphy. ubi iſtam inter Speciem & Proprium differentiam prætermiſisſet, cognoſcent ij, qui tum Speciei hic conſideratæ, tum etiam Proprij rationes intuebuntur; Speciei quidem, quoniam Species hìc non ſub alia ratione conſideratur, niſi qua Species eſt; nanq; ſi ut Genus, tunc ea quę hoc loco tractantur, quando de generis & proprij agebatur diſcrimine, iam tractata fuiſsent. Et præterea pari ratione quando & Generis & Proprij quærebatur interſtitium, genus aliorum poſse eſse ſpeciem, Proprium uerò aliorum generum nequaquam poſse eſse proprium, poterat ad propoſitum quidem dici Vnde ſpecies, vel illa ſpecialiſsima ſit, uel ſubalterna, hìc non niſi vt ſpecies conſiderari debuit; ea neglecta habitudine qua inferiora alia reſpiciens, poſset etiam dici genus. Sed inſtabit quiſpiam, hoc de ſpecialiſſima Specie veritatem habere; quòd ſi aliqua reperitur alià, quæ cum hoc quòd ſit Species, poſſit adhuc eſſe

Primum concluſionis fundamẽtum.

Obiectio

ſe

de media, & ſubalterna ſpecie ſermo exiſtat; iam quoque & Proprium poterit pariter aliarum, & plurium ſpecierum eſse proprium;dummodò ſupponamus,quòd de generico Proprio, non ſolùm eo quòd ſpeciei aduenit,uerba fiant; de natura cuius erit,quòd de multis enuncietur ſpeciebus, quéadmodum & ipſum Genus, cuius proprium eſse affirmamus.

CONCLVSIO XXXVIII.

Genera, & Species, licèt ijs quorum uel genera, uel ſpecies ſunt, priora eſſe dixerit Porphy.; nos illi non repugnantes, oppoſitum aſſerimus.

AGens Porphy. de Generis & Speciei communitate,ea,inquit,priora illis eſse, quorum uel genera uel ſpecies ſunt. Sciédum attamen eſt,quòd prioritas bifariam poteſt intelligi,in eſsendo nimi rum,& in conſequendo(candidatæ parcant aures.) Illud prius in eſsendo vocatur,quod ſcilicet primò exiſtit,realiterq; eſt;& tunc ſuis uniuerſalibus, gene ribus,ideſt,& ſpeciebus,priora ſunt indiuidua; quia niſi hęc ipſa fuiſsent indiuidua primitus, Species ac Genera eſse nequaquam poſsent; quum ſpecies nil aliud,niſi multorum in unam naturam conuenientium prȩexiſtentiam dicat. Hinc in prȩdicamento ſubſtantiæ docebat Ariſt. quòd deſtructis primis ſubſtantijs (hoc eſt indiuiduis) impoſsibile eſt **Prius duplex.**

aliquid

aliquid aliorum remanere ideſt,uniuerſalium, cuiuſmodi Species,& genera ſunt.Et notãdum eſt, quòd indiuidua non modò ſubſtantias nominauit, ſed quoque primas, ac ſi pręſentem propoſitionem proprio uellet chyrographo confirmare. Hac nanque ratione pręſens debet intelligi concluſio, quòd ſpeciebus & generibus,priora ſint indiuidua;ob quòd dicebat MagnusMagiſter,quòd uniuerſale animal, aut nihil eſt, aut poſterius eſt, primo de anima t. 8.

Prius autem in conſequendo,illud uocatur, quo poſito non ponitur aliud; ſed alio poſito, & ipſum poni neceſſum eſt. Vnde inquiunt Logici,illud hoc modo eſse prius, à quo ſubſiſtendi conſequentia non conuertitur;& ut ſic,quia homine poſito, Socrates,uel Plato non neceſsariò ponitur; nec animali poſito,homo uel bos ponitur; ſed ex iſtorum poſitione,ea animalis ſequitur, homo qui eſt ſpecies,dicitur quòd ſit indiuiduis prior;& animal genus, homine prius. Illud enim quod infert poſterioris nomen obtinuit; illud autem quod infertur prioris.Et hoc modo Porphyrij monitum, uenit interpretandum,Genera,& Species priora his eſse, quorum uel genera,uel ſpecies ſunt. Hoc & Ariſt. uoluit quinto primę philoſophiæ tex. 16. quando dixit,vniuerſalia ſecundùm rationem priora eſse, ſecundùm autem ſenſum,ſingularia &c.

CON-

CONCLVSIO XXXIX.

Vltima Generis, & Speciei differentia, quæ inde ſumitur, quòd Species nunquam fiet generaliſſimum, & genus nũquam fiet ſpecialiſſimum, non eo modo inter eadem diſcrimen importat, quin poßit etiam communionis eſſe argumentum.

SI tam Species, quàm Genus ſecundùm proprium ſitum conſiderantur, quo in prędicamentali manent coordinatione, & iuxta propriam rationem, qua alterum alterius excludit negatq; naturam, cũ relatiuè oppoſita ſint; hoc ultimum eorundem à Porphy. aſſignatum diſcrimen, non modò differentiam dici poſse negamus, ſed eorundem communitatem appellamus: nam per illud nil aliud infertur, niſi hoc, quòd ſicuti ſe habet Genus in proprio ordine, propriâve quidditate; ſic ſe habet & ipſa ſpecies in proprio eſse; ſed generis ratio eſt, quòd nunquam ſpeciei ſpecialiſſimę poteſt ſortiri naturam; ergo ſpeciei ratio erit, quòd nullo unquam tẽpore generaliſſimi generis ſapiet quidditatem. Et currit iſthęc probatio; quoniam quum Genus & Species correlatiua ſint, neceſsariò ſequetur quòd ea, quæ uni illorum cõpetunt, congruant & alteri: & *Digreſſio aduerſus Porphy.*

ea

& ſpecies etiã ſubalterna,& ſic,deGenere ſi dicitur, quòd poteſt eſse Species,pariter de Specie dici poteſt quòd poſsit eſse Genus, & hæc ſapit uerarum collationum methodum. Vnde id ſequitur,quòd priùs concludebamus;illam potiùs dici conuenientiã, quàm differentiam,non ut Porphy. docebat Si uerò Genus, & Species ſumantur, vt illud genus eſt, hæc autem ſpecies; & quòd per iſtam vltimam differentiam, vnum non eſse aliud demonſtretur, & differre in hoc,quia Genus non eſt Species, & ſpecies non eſt genus;ſic poteſt diſconuenientia appellari;ſed nullius certè momenti; quando eadem ex propria utriuſque nomenclatura,ut diximus,importabatur.

Sic itaque concludentes dicamus, quòd ſi ſumantur Genus et Species, vt in proprijs conſiſtunt naturis,et ut relatiuè oppoſita ſunt, ex ijs que de illis vltimo loco ſcripſit Porphy. illorum conuenientia colligitur,tantùm abeſt, quòd differentia eluceſcat:ſi uerò intelligatur eorum alterum non eſse alterum, vt ex verbis ſignificari licet,ſic aliquo pacto differentia(quamuis minùs accuratè aſsignata) nominari poteſt.

CON-

CONCLVSIO XL.

Num id quod in Generis & Speciei diſcrimine docet Porphy. Genus ſcilicet Species continere, & ab illis nõ contineri, uerum ſit.

EX ijs, quæ capite de Differentia in prima eiuſdem diffinitione, tradit Porphy. quomodò præſens concluſio debeat intelligi, docti euadimus. Exponens enim ibi idem author, quare dictum ſit, Speciem differentijs à Genere abundare, & quàm illud plures continere; genus poteſtate differentias, has item actu Species continere concluſit. Sic igitur in propoſito quùm Porphy. dicit, Genus ob hoc à Specie differre, quia illam continet, ab ea autem minimè continetur; talis continentia poteſt bifariam concipi, uel actualis quidem, uel potentialis. Si de potentiali loquimur continentia, genus poteſtate propria, amploq; potentiæ ambitu, omnes continere ſpecies uerißimè affirmatur; taliſq; continentia ex illatio nis via facillimè poteſt cognoſci; quandoquidem cuiuſcunque Speciei poſitio, Genus ipſum neceſſariò infert; quia una data ſpecie, ex neceßitate genus dari debet; et hoc eſt continere in potentia. Quando nanque ſpeciei actum nullum, dicit Genus, tunc in ſua uniuerſalitate, quæ & potentialitas nominari poteſt, perſeuerat. Genus autem à Specie

Continẽtia duplex.

non

non continetur, cùm ſuperius quoddam ſit, & ab illa potiùs illatum, quam eandem inferens. Si autē actualem intellexerimus potentiam, oppoſitum apparebit; quoniam genera ut ſic continentur, & non continent: quia ipſa ſpecies genus actu continet; immo omnium præcedentium generum, ſi plura illa ſint, rationes in ſpecie actu includuntur; homo nanque actu eſt animal, eſt corpus, eſt ſubſtantia: & ſi animal potentia eſt homo, actu homo, futurum, quando per differentiam dabitur informari; efficieturque tunc ſpecies.

Poteſt adhuc quò ad affirmatiuam partem, ſecundùm quam præſentis textus iacet litera, propoſitio iſthæc defendi, ſi per Continere, Conſtituere, intellexerimus: nam ut ſic quùm idem ſit dicere genus continere ſpeciem, ac genus eandem conſtituere; genus ueram ſpecierum continentiam, hoc eſt, conſtitutionem poſſidere, nemò profectò ambiget. nullo autem pacto ut ſic, negatiuam concluſionis partem tutabitur aliquis.

CONCLVSIO XLI.

Quamuis Accidens de paucioribus quàm Genus prædicari concluſerit Porphy. nos tamen illud de pluribus quàm genus dici, ad eiuſdem aures ſubſtinemus.

DIſcrimen, quod inter genus, & differentiam

exiſtit,in ſuis (ut dicunt) communitatibus uolens Porphy. concludere; illud dixit non modò quàm differentia, ſed quàm quoduis aliud predicabile, de pluribus enunciari. & quum idem reſpectu accidentis uellet particulariter aſſerere, in hæc prorupit uerba, Accidens ſimiliter de paucioribus prędicatur. Sed ſi quis rem uellet intimius perſcrutari,tantùm abeſt,quòd accidens de paucioribus dicatur quàm genus, quòd de multò pluribus illud, quàm illud prædicari oſtendet. Accidens nanque de pluribus indiuiduis prædicatur; vt nigrum ſcilicet de pluribus Aethiopibus:& de differētibus ſpecie, ut de Aethiope & coruo.& de differentibus genere,ut de eiſdem & hebeno & carbone. album pariter de differentibus numero, ſicut ſpecies prędicatur,ut de pluribus cygnis: & uti genus de differentibus ſpecie,quia de cygno, anſere homine: ac pluſquam genus, quoniam adhuc de differentibus genere dicitur; nam de cygno,niue, marmore,ligno,ebore,flore,fructu,argēto,& infinitis pene alijs. genus ergo de pluribus quàm accidens prędicari, uidetur à Porphy. non fuiſſe accuratè concluſum.

Accidentis ãpliſſimus predicationis ambitus.

Pro huius difficultatis enodatione ſciendum eſt primò, quòd aliud eſt prædicari de differentibus ſpecie,& differentibus ſpeciebus; & aliud eſt prædicari de differentibus ſpecie ſolùm. Genus enim ultra,hoc quòd prædicatur de differentibus ſpecie, ideſt,de pluribus indiuiduis ſub diuerſis ſpeciebus contentis; prędicatur adhuc & de ipſis ſpeciebus inter ſe diuerſis. immo priùs de iſtis, & iſtarum ratione de earundem indiuiduis. Accidens autem de differentibus ſpecie ſolùm prędicatur:uel de differentibus genere ſolùm, ut exēpla indigitabant; hoc eſt,de ijs indiuiduis quę ſub diuerſis ſpeciebus, & etiam diuerſis generibus reponuntur:non tamē

Concluſionis intellectus

de

de illis ſpeciebus, uel generibus prædicabitur. Et huius occaſione dixerat Porphy. (quemadmodum ſuperius uidimus) accidentia principaliter de indiuiduis dici, conſequenter uerò de naturis communibus: quoniam in indiuiduis principaliter ſubſiſtunt, illisque poſteriora ſunt. Quod ſecus ſe habet in generibus & ſpeciebus. Modò prædicari de plurium ſpecierum indiuiduis, & non de ipſis ſpeciebus, non arguit maiorem in prædicatione pluralitatem, quàm de pluribus indiuiduis & pluribus ſpeciebus prędicari; quia maximam præſefert dignitatem prædicari de ſpeciebus, quod generi congruit. ex hoc enim adipiſcitur genus, quòd perpetuò & uniuerſim de ſingulis indiuiduis ſub illis ſpeciebus contentis prędicari ualeat. Accidens autem, cui prædicatio de ſpeciebus non competit, nunquam ſubiectorum qualitate, generi poterit conferri: quandoquidem cùm Accidentis prædicatio de multis indiuiduis, ex illorum ſpeciebus exorta non ſit, neque perpetuò, neque uniuerſim de illis tot indiuiduis, (etſi etiam genere differentia exiſtant) prædicabitur: immo eadem, de quibus dicitur Accidens, indiuidua, tali poſſunt accidenti non ſubijci; quod de ſeparabilibus accidentibus ſenſui patet; de inſeparabilibus autem, opere ſaltem Intellectus (ut in pręcedentibus concluſionibus oſtenſum eſt) licet concipere. & ex hoc, prædicationis accidétis pluralitati detrahetur & derogabitur. idque euenire poteſt, tum ob ſubiectorum naturam; quę cùm indiuidua, ac ſingularia ſint, perpetua uoluuntur uarietate, inſtabilitateque gaudent: tum etiam ob prædicatorum rationem; quippe quæ accidentia quum ſint, æquè adeſſe, & abeſſe queunt; quoniam talis eſt uera eorum natura, & quidditas, ut

Epilogus. ex diffinitione aſſignata à Porphy. claruit. & ſic tandem utriuſque concluſionis partem ſubſtinentes breuiter dicamus, quòd uel loquimur de prędicationis pluralitate, per indiuidua & ſpecies importata; & ſic de pluribus prædicari Genus forte uoluit Porphy. vel de prędicationis pluralitate agimus, per indiuidua ſolùm argumentata, & ita de pluribus prædicatur Accidens quàm Genus; quo noſtrum in poſtrema concluſionis parte uerificatur inuentum.

Alius intellectus. Poſſemus & ſecundò dicere, prędicationem & diſtinctam, & confuſan intelligi. Vnde ſi de prædicatione diſtincta loquimur, Genus de pluribus quàm Accidens prædicatur; quia de diſtinctis ſpeciebus determinatisq́; ſub illis, indiuiduis, & ſi non ita numero, ratione tamen & diffinitione diſtinctis, prædicatur. Si uerò de prædicatione confuſa, ſic de pluribus dicitur accidens, quod quidem confuſè, indiſtinctè atque indeterminatè in plurium ſpecierum indiuiduis inuenitur; nec diſtinctum quendam ordinem, ac determinatam ſibi uendicat naturam; de cuius ratione ſit quòd eodem modo poſſit perpetuò urædicari; etiam ſi inſeparabile ſit, ut doctores expoſitoresq́ue conueniunt omnes de natura accidentis inſeparabilis agentes uel in proprio capite illi à Porphy. nuncupato.

Ammo. ſentẽtia. Ammonius in Porphy. eodem loco generis & differentiæ diſcrimen exponens, dubitationem iſtã rangit; quam breuiſſimis, ſed aureis uerbis diſſoluit, quæ profectò, quoniam cum difficultate, non contemnendam prę ſeferunt utilitatem, hìc apponere non grauabimur, ita enim habẽt, Si quid ſit ſub
» eodem genere conſtitutum, ut accidens in animali-
» bus, anguſtius ſerpet, quàm animal. id nanque quod
» nigrum eſt, omnibus non eſt attributum. & quod
» in ptantis eſt, plauta minus eſt. Horum uerborum intelle-

intellectum hunc eſſe putamus. Prædicatio accidentis dupliciter poteſt intelligi, uel abſolutè, nempe ut ſit de omnibus, de quibus fieri poteſt, ſub diuerſis tum ſpeciebus, tum generibus, contentis indiuiduis; & ſic de pluribus quàm genus prædicatur; quoniam generica poteſtas, limitata cùm ſit, à contentis ſub ſe duntaxat ſpeciebus, & ab illarum indiuiduis tantùm participata, ad omnia illa (ad quę benè poteſt accidens) extendi nequit. Vel iam dicta prædicatio, reſpectu eorum quæ ſub uno genere ſunt indiuiduorum conſideratur; & tunc de pluribus prædicatur genus quàm accidens: quia genus de illis omnibus uniuerſaliter, & neceſſariò prædicatur; adeo quòd ne unum quidem illorum ſit, de quo genus prędicationem habere, effugiat. Accidẽs autem nequaquam de illis prædicari in uniuerſum poterit. nigrum nanq; , & ſi de hoc & de illo animali prædicatur, non tamen de omnibus, neque æquę prędicabitur. Animal autem de cunctis, uel nigra, uel alba ſint enunciatur. Similiter Accidens quod in plantis eſt, perq́; plantas ſerpit, ut v.g. dulce, auſterum, &c. & ſi de hac & de illa planta dicitur, non tamen de omnibus aſſeretur, ſicuti ipſa eadem planta, quæ de dulcibus, auſteris, calidis, &c. plantis uniuerſis æquè prædicatur. Determinantes ergo dicimus, quòd iuxta hunc ſecundum intellectum, prima Porphy. concluſionis pars defenditur. Iuxta primum uerò ſecunda, quam nos appoſuimus. & ſic utraque diſputabilis.

Exponitur Am. mo.

CONCLVSIO XLII.

Nulla coactus neceſsitate Porphy. hoc eodem loco de Genere & Differentia agens, Differētiam diuiſiuā intelligi debere proteſtatur.

QVoniam huiuſmodi ponderationes tyronibus nō diſplicere cognoſcimus, nec nos illas notare grauabimur; unde ipſi uideant, quòd Porphy. inter Genus & Differentiam diſcrimen apponens, auditores monitores cautoſque uoluit ſeipſum non, niſi de Differentijs, quibus Genus diuiditur, ſermonē habuiſſe; non de ijs quæ generis ſubſtantiam complent; & rurſus addit, quòd diuiſiuas, non conſtitutiuas intelligit. Cautio hęc ipſa prorſus inutilis (parcat iſte magiſter) exiſtimanda eſt; quādoquidem nemo ſanæ mentis, uel qui ſaltē, quid Generis, quiduè Differentię nomine importetur, didicerit; horum duorum prædicabilium collationem audiens, aliam à diuiſiua Differentiam poterit ſuſpicari; quandoquidem ſi conſtituens Differentia cum conſtituto Genere ad comparationem deſcenderet, idem eſſet, ac ſi genus cum ſpecie compararentur. Differentia nanque ipſa conſtituens, Generis; Genus autem ipſum conſtitutum, Speciei uices in tali caſu gereret; quoniam id quod conſtituit, conſtituti, Genus poteſt rationabiliter appellari; genus nanque, ut ſuperiùs declarauimus, reſpectu ſuppoſitæ ſpeciei, nil aliud niſi, con-

Porphy. ſuperfluus.

ſtitutiuam eiuſdem Differentiam, informandamq́; naturam præ ſe fert.

Vlteriùs, ſi talis ſuſpicio alicuius animo inſideret, nullam in tali collatione de Genere generaliſſimo haberi mentionem ille prorſus imaginabitur; illud enim penitus differentijs caret conſtitutiuis. Hoc ipſum etiam, abſque tali proteſtatione, & quæ inter eadem prædicabilia adducenda erant ab ipſo Porphy. diſcrimina, argumentabantur. Sibdit enim Genus differentiam cōtinere poteſtate; differentiam uerò, Genera minimè. Subiungit adhuc, Genera Differentijs priora eſſe, & alia quæ hic adducere nouiſſimus eſſet error; modò quamnam differentiam genus poteſtate continet? certe non conſtitutiuam, à qua potius cōtinetur. Et quanam differentia, prius eſſe dicitur? non quidem cōſtitutiua, quùm maximam implicet contradictionem, dicere conſtituens eſſe ſuo conſtituto poſterius. Sed hęc tandem, ut minimę frugis perſcrutationem ſapiunt, omittantur ſic leuiter tacta.

CONCLVSIO XLIII.

Indiuidua, ſi uerè infinita eſſe cenſuit Porphyrius, rei ueritatem non eſt aſſequutus.

IN concluſione, quę proximè pręponebatur, quū de prædicationis accidentis amplitudine tractabatur, illud de infinitis indiuiduis prędicari aſſerebatur; huius rei occaſione, poſſet aliquis modum loquendi iſtum, ab ipſa ueritate fuiſſe protractum ſuſpicari; eo uel potiſſimùm argumento per-

perſuaſus, quod ab authore noſtro Porphy. in capite de Specie, huius tractatus, deſumi licet. concludit enim ibi Porphy. indiuidua infinita eſſe. dum omnia quę prædicamentalem coordinationem cõſtituunt, enumerat. Sciant tamen qui tantæ difficultatis ueritati conſentaneam quęrunt diſſolutionem, dogma illud nequaquam uerũ eſſe; atque hoc eodem doctiſſimus Ammonius probat medio, quo & ſpecialiſſimas ſpecies, infinitas non eſſe docuit. cuius rationis uis ſuper quodam philoſophico placito atque ab omnibus recepto, fundatur. Inquiũt nanque naturales Philoſophi, illud infinitum eſſe, cui additio fieri minimè poteſt; nec non infinito infinitius admitti, ipſa dicunt abſurditate abſurdius. Tunc ita erigitur ratio. Si per Porphy. indiuidua ſunt infinita, cuiuſcunque ſpeciei indiuidua adhuc infinita erunt: quia par omnibus ratio exiſtit. Hoc conceſſo, duarum, uel trium, uel plurium ſpecierum indiuidua coaſſumantur; cùm unaquæque illarum ſpecierum ſeiunctim ſumpta, indiuidua continent infinita; clariſsimè ſequetur infinitius infinito dari; quia ex plurimis diuerſarum ſpecierum indiuiduis, id quod aggregatum eſt, infinitius eó reddetur, quod tantùm vnius ſpeciei continet indiuidua; licèt ea ipſa adhuc infinita ſint; quod totum falſiſsimum eſſe perbellè ibi Ammo. deducit; ad cuius lectionem, alioquin eloquentiſsimam, ſcholares diligentiores demandamus.

Porphy. incuria.

Ammo. ratio.

Verus intellectus

Concludendum igitur arbitramur, quòd ſi aliquo modo infinita dici indiuidua conceditur, ille proueniet uel quia nobis ignota eadem ſunt indiuidua; unde eorũ numerus alioqui certe plurimus, inter infinita non ſimpliciter, ſed ſecundùm quid cenſendus uenit. Vel quia, cùm ſingularia indiuidua ſint, quare in generatione & corruptione continuè uerſantur, eorundem finitus, ſeu certus numerus,

adhuc

adhuc, nec certa ſcientia haberi poteſt; non quòd realiter & uerè indiuidua infinita ſint: ſi enim nec arenę numerus, nec aquę maris guttæ infinitę ſunt, ut ibidem probat Ammo. quænam aliorum entium ſingularium erit infinitudo recipienda?

Porphy. defenſio.

At pro Porphy. dicet quiſpiam, hanc ipſam fuiſſe eiuſdem mentem, indiuidua infinita eſſe aſſeuerantis; quòd ſcilicet per infinitum, incertus & indeterminatus numerus remaneret intelligendus. Niſi eſſet, quòd cùm hoc de ſpeciebus idem affirmauerit Porphy. ab indiuiduis illud negauiſſe uiſus eſt. Hęc enim eius uerba exiſtunt. Decem igitur generaliſſima quidem ſunt; ſpecialiſſima uerò in numero quidem quodam ſunt, non tamen infinito; indiuidua autem quæ ſunt poſt ſpecialiſſima, infinita ſunt. Ex eo enim quod dixit, Species in quodam numero eſſe, licèt non infinito, talem numerum nobis eſſe ignotum inſinuauit, licèt uerè determinatus ſit ac finitus: cùm autem ſubdidit, Indiuidua autem infinita ſunt; per dictionem illam aduerſatiuam, uiſus eſt uoluiſſe, quòd indiuidua, nō ſicuti ſpecies ſe habent, (quæ licèt infinitæ uideantur & iudicentur, in numero tamen finito ac certo conſiſtunt) ſed uerè realiterque infinita ſunt; locus certè diligenti dignus eſt contemplatione. Nam ſi uerè, formaliterque hoc Porphy. (ut nos arbitramur) concluſit, admiſit pariter & infinitum in actu; ad cuius poſitionem, quæ qualiaque ſequantur incommoda, illi ſciunt, qui in naturali Philoſophia uerſantur.

Improbatio.

Corollarium pium.

Ex prætacta ratione, cui ſubſcripſit Ammonius, ſolumus nos aliquando diſputantes pro ſanctiſſima Religione ac ueritate, cōntra Philoſophos & Peripateticos, mundum fuiſſe creatum, & nequaquam æternum ſubſtinere, ac defendere; quandoquidem ſi fuiſſet (ut ipſi aſſerunt) æternus: ergo infiniti

finiti prçceſſiſſent anni.& quoniam longè plures q̃ anni ſunt menſes,& quàm hi,dies;nec nõ & quàm dies horæ,& quàm hæ, momenta;ſequitur igitur, quòd infinitis annis eſſent ipſi menſes infinitiores,menſibusq́ue dies, diebus horæ,horisq́ue momenta;& ſic concederetur infinito infinitius,& infinitiori,id quod magis eſſet infinitum, &c. quod eſt falſisſimum,penitusq́ue eorũdem Peripateticorum principijs clariſſimè diſſonum; immo & omnibus Philoſophis repugnans, infinito non poſſe fieri additionem, concorditer concludentibus. Relinquitur igitur, mundum, vt veritas docet, creatum in tempore fuiſſe.quodobiter ſit dictum, cùm noſtros tranſcendat limites hæc tractatio, de qua fortaſſis aliàs. Illud etiam in hac occaſione prçterire nolumus fuiſſet qui ſi Mundus ab çterno, non modò quod diximus ſequeretur abſurdum; ſed etiam hoc, qui ex continua temporum ſuccesſione, infinitis iam dictis annis, menſibus &c. in dies per omne futurum tempus additamenta apponerentur;quod ipſi Philoſophi renuunt.

CON.

CONCLVSIO XLIIII.

Quoties in his prædicabilium attributis, quæ Communitates appellãtur, bipedis, uel quadrupedis exemplo, Differentiam ſignificaturus utitur Porphy. impropriè ſatis loquitur.

TRadens Porphy. Differentię & Generis diſcrimina, de pluribus Genus dici, quàm Differentia oſtendit; quia de pluribus dicitur animal, quod eſt Genus, quàm quadrupes, quod eſt Differentia. Rurſus, idem de Specie, & Differentia agens, inquit, Differentiam in pluribus ſæpe Speciebus conſiderari, quàm Species; ut quadrupes &c. Item cùm de Differentia & Proprio tractat, utrunque ęqualiter participari comprobans; ac uolens Differentiam intelligere, dicit; Et ſi enim curtetur qui bipes eſt &c. adeò quòd per bipedem, differentiam ſupponit. Tandem monſtrans, Accidentium inſeparabilium, & Differentiarum commune eſſe, ſemper & omni adeſſe, exemplificans de Differentia ait; Bipes enim ſemper adeſt omni homini &c. Ex quibus omnibus clariſſimè liquet, ſub bipedis & quadrupedis nomenclatura, Differentiam ut tertium predicabile eſt, importari uoluiſse Porphyrium.

Nos aũt hoc impropriè dictũ, ac à nobis nõ indebitè obſeruatũ eſse aſserimus; quãdoquidẽ, ultra quòd *Porphy. lapſus.*

quòd ratio ipſa docet;neque id quod bipes eſt,neque id quod quadrupes,reſpectu bipedum uel quadrupedum animalium,differentię naturam ſortiri; quum illis diffinitiones omnes, proprietates & attributa deſint(quæ differentijs competere,ex capite proprio de Differeatia didicimus; Clariſsimè nihilominus, hoc contra ea quæ idem author Porphy. in capite de Proprio aſſeruerat,offertur. Ibi nanq; proprium ſecundo modo dictum aſsignans, illud eſſe retulit,quod omni & ſemper euenit, & ſi non ſoli,ceu homini eſſe bipedem.Modò cùm bipedum,& quadrupedum differentia in numero Propriorum ſecundo modo dictorum reponatur; improprie quidem(ut nos cenſemus) ab eodem authore Porphy. in hoc de Communitatibus capite, bipedis,uel quadrupedis,toties afferũtur exempla, Differentię, ut tertium prędicabile eſt,ſignificationem importantia; quia idem, ſecundùm unam rationem in duobus prædicabilibus collocari repugnat; quod ſi contingeret, potius a capite de Proprio,ad illud de Accidente fieret traductio, quippe quæ aliqualem hæc duo prædicabilia Accidentis naturam referunt,& ſi uario modo(ut ſæpius repetitum eſt);quàm à capite de Proprio ad illud de Differentia;pręſertim quum de eo Proprij ſignificato quod nobiliſsimum eſt,& quarto modo dictum,ſermo non habeatur; ſed de ſecundo, quod magis ad Accidentalitalitatem accedit.

CON-

CONCLVSIO XLV.

Quæ de equa & aſino affert Porphy. ad ſpecierum compoſitionem tollendam; inſtantiam nequaquam effugient.

INter alias Speciei, & Differentiæ diſtantias hanc inſeruit Porphy. quòd multarum Differentiarũ congreſſus Speciem poterat conſtituere; at uariarum Specierum mixtio, tertiam quandam componere Speciem non ualet. Sed quoniam huic dogmati euidens occurrebat ſtatim obiectio de equa & aſino; quæ cùm diuerſæ ſint Species, commixtæ nihilominus ad muli generationem concurrunt; illi quapropter obuians idem Porphy. aſseruit, quòd non ſimpliciter aſino equa compoſita, multum producit; ſed benè cuidam aſino quædam equa permixta. Vnde definitum ab eo remanet, quòd licèt Species, ut Species ſunt, commiſceri nequeant; poteſt tamen unius Speciei indiuiduum, alteri alterius cõmixtum, ad tertij productionem, ſeu generationẽ concurrere; vt de mulo experientia commonſtrat; atque ex hoc inter Speciem, & Differentiam, iam aſsignato diſcrimini, nullo pacto derogatur; quoniam, non ipſę ſpecies ſimpliciter, ſed ſub eiſdem ſpeciebus contenta indiuidua ſunt, quæ ad tertij productionem componuntur.

Huic Porphy. reſolutioni uidetur, quòd occurrat inſtantia; quoniam a pari dicere poſset quiſpiã; *Porphy. defectus*

Si hoc pacto Specierum & Differentiarum intelligenda eſt compoſitio,ſequetur,quòd neque ad conſtitutionem ſpeciei,plures miſceantur Differentię; quam quidem mixtionem admittit ipſe Porphy. quoniam rationale & mortale ſimpliciter,hominē non conſtituunt,ſed hoc rationale, & hoc mortale. Adhuc, neque hoc pacto intellecta commixtio ab aliqua Specie negari poteſt; quandoquidem nō homo ſimpliciter Socratem generat, ſed hic homo,& hæc homo. Vnde ſicuti per Porphy. non equa & aſinus mulum generant,ſed hæc equa, & hic aſinus; ita nec etiam dici poteſt, quòd homo ſimpliciter,& ut uniuerſalem,ſpecificamq́;naturam ſupponit, hominem generet; ſed talis,uel talis. Quare nulla inter hęc diuerſitatis ratio apparet,ob quā alio pacto ex diuerſis ſpeciebus generetur mulus,& ab vna ſpecie homo,uel equus; ex qua ſequatur poſtmodum,quòd alia ſit muli generatio ab ea indiuidui cuiuſuis alterius ſpeciei; ratione cuius, ſolùm difficultas emergat aduerſus illud Speciei & Differentie diſcrimen,in quo aſſeritur, Differētiā cum alia Differentia miſceri poſse, ſpeciem verò cum alia ſpecie minimè.

Præterea, ſi Porphy. poſitio, qua concluditur, mulum à diuerſarum Specierum cōpoſitione non generari,eſset uera, alterum duorum ſequeretur; uel quòd aliqua indiuidua abſque ſpecie darentur, uel ſi talis ſpecies daretur, illa ab indiuiduis generaretur; aut certè, non eo modo quo alię ſpecies ab indiuiduis dependeret. Prima ſequela patet; quia, ſi generatio muli ſit ab hac equa, & ab hoc aſino;ſequitur,quòd non conſideretur niſi hic, & hic,& hic mulus;conſideratio autem muli,ut quædam ſpecies eſt,ab alijs diſtincta non dabitur,neq; id uniuerſale,quod tanquam proximius de hoc, & illo mulo prędicari queat; quia ſi illud tale, uel

uniuerſale proximum,uel ſpecies muli datetur; il-lud eſset hic aſinus, & hęc equa; nanque Porphy. iſtis duarum ſpecierum indiuiduis receptis, naturas communes illas non admiſit. Secunda ſequela adhuc procedit: quoniam cùm mulus quandam diſtinctam ab alijs ſpeciem arguat; & illa non, niſi ex indiuiduorum diuerſarum ſpecierum compoſitione, producatur; patet, quòd vnius ſpeciei natura ab indiuiduis duarum ortum ducet.

At ſi dicet aliquis (ut ſæpius in pręcedentibus conclusionibus tactum eſt) uerificari hoc in ſingulis ſpeciebus, quòd eſſe proprium ab indiuiduis nanciſcantur, quibus indiuiduis deſtructis, impoſſibile eſt, quòd uel ſpecies, uel genera remaneant; quoniam hæc tanquam entia ab Intellectu fabrefacta, illis poſteriora ſunt. Reſpondebimus hanc diuerſitatis rationem à Porphy. eſſe petendam; qui uariam muli productionem ab ea aliorum indiuiduorum inſinuauit; ita enim aſſeruit, mulum ex hac equa & hoc aſino generari; ac ſi homo non ex hoc homine & hac muliere generaretur. qui ſi admitteret ſimilem illis eſſe productionem, tuta illa differentia non eſſet; & interſtitium, quod inter ſpeciem & differentiam poſuit, quòd ſcilicet differentia cum differentia componitur; ſpecies autem cum ſpecie nequaquam; cuius occaſione præſentem nos ereximus diſputationem. Sed plenior ac longior huius negocijs perſcrutatio, tyronum ingenia, quibus potiſſimùm hæc ſcribuntur, inuolueret potiùs ac turbaret, quàm alliceret, & excitaret; cùm præſertim altiſſimę ſcientię, ſcilicet Metaphyſices, propria ſit. ibi enim & præcipuè libro 7.tex.28. Magnus magiſter, de muli generatione ab uniuoco tanquã non facta, duo

Obiectio.

Satisfactio.

De muli generatione qd Ariſt.

CONCLVSIO XLVI.

Licèt intenſione & remiſsione carere Genus docuerit Porphy. nos ab hac doctrina non recedentes, idem magis & minus ſuſcipere poſſe fatemur.

DE Generis, & Accidentis diſcrimine agens Porphyrius, huius participationem intenſionem & remiſſionem ſuſcipere, illius autem nequaquam concluſit. Similiter etiam de Specie, & Accidente; ac de Differentia, & Accidente tractans; intenſionem, & remiſſionem à Specie, & differentia ſemouit. Huius rationem, nos hanc eſſe credimus: quia Genera, Species, & Differentiæ, ſubſtantiam eorum, quorum genera ſunt, uel Species, uel differentię præſeferunt: At ſubſtantiæ proprium eſſe, magis & minus non ſuſcipere, proprio de Subſtantia capite in prædicamentis Ariſt. ſancitum reliquit; quod quantum ueritati congruat, quum clarè pateat, & citato loco fuſiùs comprobetur, nolumus hic nos exponere. Sed ſecundam propoſitę concluſionis partem defendentes, à graui Ammonio edocti, aſſerimus, dupliciter poſſe conſiderari ſubſtantiam, uel ſecundùm profunditatem, uel ſecundùm latitudinem. Per profunditatem, intelligimus nos prædicamenti Subſtantiæ altitudinem coordinationis; qua ea quę in tali

Primæ partis expoſitio.

Secunda

prędicamento collocantur, iuxta ſuperiorem,& inferiorem ſitum diſponuntur;per latitudinem uerò, ea quæ in una eademq; ſede locantur, ſiue in iam dictę coordinationis pari gradu,licèt numero plura ſint; uel ea talia ſint genera,uel ſpecies,uel indiuidua. Tunc dicimus, quòd ſi primo modo ſubſtantiam contemplamur;nota illa eiuſdem diuiſio, in primam,& ſecundam emergit; & ſic poteſt ſubſtantia magis & minus ſuſcipere; uel ipſo Magno Magiſtro teſte, qui primam ſubſtantiam, principalem,& maximam nuncupauit; ac ſi minores ſubſtantias reliquas, quas ſecundas appellauerat,eſſe concluſiſſet: Et rurſus Generis,& Speciei collatione habens, Species magis ſubſtantias eſſe quàm Genera diffiniuit: utpote quæ Species indiuiduis, quæ primæ ſubſtantiæ dictæ ſunt,proximiores collocentur. Si uerò ſecundùm latitudinem,ſubſtantiam conſiderabimus, quoniam ipſa omnium in paei coordinationis ſede contentorum amplitudinem dicit; intenſionis, & remiſſionis particeps eſſe non poteſt: quoniam non poteſt dici, Socratem eſſe magis ſubſtantiam quàm Plato ſit;uel Frāciſcus,uel Ioannes. Idem aſſeritur de indiuiduis cuiuſcunque ſpeciei; nec ſpecies humana, eſt magis ſubſtantia quàm equina; neque genus animalium,eſt magis ſubſtantia quàm ſit genus plantarum,ſeu lapidum &c. & hoc eſt,quod uoluit aureis uerbis in proprio Subſtantię Prædicamento Ariſtoteles declarare,cùm dicebat:Videtur autem ſubſtantia nō ſuſcipere magis & minus.Dico aūt nō, quoniam ſubſtantia non eſt à ſubſtantia magis & minus ſubſtantia(hoc enim dictum eſt, quoniam eſt)ſed quoniam unaquæque ſubſtātia hoc ipſum quod eſt,non dicitur magis & minus: ut ſi eſt hæc ſubſtantia homo, non erit magis & minus homo &c. Primo igitur modo, concluſionem noſtram

tueri

tueri debemus;non ſecundo.

Poteſt & alia uia,eadem defendi;quòd ſubſtantia conſideratur,uel pro eius eſſentia,uel pro eius ſubſiſtentia. Primo modo ſubſtantia magis & minus nequaquàm ſuſcipit; quia eadem eſſentia, & ſubſtantiæ ratio in quauis ſubſtantia reperitur. Secundo autem modo ſuſcipere, non repugnat; quoniam magis prima ſubſtantia ſubſiſtit; atque illa quæ indiuidua nominantur, quàm ſecundæ ſubſtantiæ,quę Species & Genera dicuntur: & per conſequens,magis ſubſtantiæ poſſunt quodammodo dici; quùm magis ſubſiſtant, magis oculis noſtris obijciatur,ac etiā accidentibus magis ſubſint. *Secunda concluſionis deſēſio.*

Tertiò,poſſet exercitationis gratia eadem concluſio ſuſtineri,intelligendo per magis & minus, Perfectius & Imperfectius; quæ quidem perfectiones,& imperfectiones in quauis ſpecie reperiri poſſunt, cùm per huiuſmodi differentias ſpecies ipſæ minimè uarientur. Tunc quoniam quędam repetitur ſubſtantia, quę quadam alia ſit perfectior; ideo teneri probabiliter poteſt,quòd detur magis & minus ſubſtantia, ſecundùm iſtum intellectum: quod patet in multis; tum in ſuperioribus, quando ſcilicet Deum benedictum contemplamur, Intelligentias, corpora cœleſtia &c. reſpectu entium iſtorum ſublunarium; tum etiam in inferioribus, quando materiæ formam, ſeu compoſitum comparamus; nam iſtis illa longè eſt imperfectior; ob quod fortè dicunt Philoſophi, & præſertim Auerroes, materiam minimæ entitatis eſse. Et ſic iuxta hunc ſensū, dici poteſt,quòd forma ſit magis substantia. *Tertia.*

Si instabitur,accidentis munus eſse magis & minus suscipere; Respondebimus,quòd nos nòn tenemus abſolutè, substantiam magis & minus admittere;ſed ſecundùm quid,idest,ſecundùm maio- *Obiectio. Solutio.*

rem & minorem perfectionem. Atque hoc Ariſtotelicæ doctrinæ non repugnare alia uia in principio declarauimus; quinimo idem Ariſt. primo
„ de Gener. & Corrup. t. c. 18. ita habet. Cuius ma-
„ gis differentiæ hoc aliquid ſignificant, magis ſub-
„ ſtantia. cuius autem priuationem non ens. Ex quibus uerbis, quoniam difficultas oritur, quòd ſubſtantia magis & minus ſuſcipiat, illam Sanctus Expoſitor è medio tollens, inquit, quòd Ariſt. per hoc non intendit ſignificare intenſionem & remiſſionem ſubſtantiæ in prædicamento Subſtantię; ſed maiorem & minorem perfectionem in ſpeciebus ſubſtantiæ ſecundùm formarum differentiam. quę quidem interpretatio ab omnibus Latinis recipitur, licet ſub alijs terminis. Inquiunt enim, quòd magis & minus poſſunt intelligi & gradualiter, & perfectionaliter; tunc ſubſtantia gradualiter, magis & minùs non ſuſcipit; quia cùm ut ſic ſubſtantiæ importetur eſſentia, quę in definitione, magis & minus non ſuſcipiente, reperitur; intenſionem & remiſſionem habere non poterit. Perfectionaliter autem, una ſubſtantia eſt magis altera. Quod tripliciter cõtingere ex Aegidio refert Dilucidator in primo de Gener. & Corrupt. & in diſputationibus 11. Metaphy. uel ex intentione naturę: qua ratione animal, eſt embrione perfectius; uel ob uictoriam formæ, circa rarefactionem & denſationem; qua ratione ignis eſt magis ſubſtantia quàm terra, quoniam ipſius forma magis materiam rarefacit; uel ex perfectione ſpeciei; & ſic magis ab homine, quàm à muſca animalis ratio participabitur.

S. Tho.

Magis & minus bifariã.

Dilucidator Sueſſ.

Dubÿ reſolutio.

Sed obijciet aliquis, num ſicuti intenſionem, & remiſſionem in ſubſtantia reperiri diximus, contrarietas adhuc in eadem admittatur, cùm hęc attributa aliquam inter ſe habeant affinitatem, &

utráq; in prædicamentis à ſubſtantiæ ratione fuerunt exploſa? Reſpondebimus affirmatiuè per iſtam propoſitionem.

SVBSTANTIAE datur contrarium. quæ neceſſariò in peripatetica familia recipi debet; ne Ioannis Grammatici aduerſus Ariſtotelem locum habeat digreſſio; qui, ut Sanctus Expoſitor lib. primo de Cœlo lect. 6. recitat, ex negatione contrarietatis in ſubſtantia, generationem & corruptionem auferebat. aſſerebat quandoquidem, quòd ſi uerũ eſt Ariſt. de generatione & corruptione dogma, quod nihil generatur, aut corrũpitur, niſi id quod contrariũ obtinet, ſequitur igitur quòd cùm ſubſtãtiæ nihil ſit contrarium (ut idem Ariſt. in libro Prędicamentorum teſtatum reliquit) quòd nec in ſubſtãtia aliquid generetur, uel corrumpatur; quod eſt penitus falſum, & contra omnem philoſophiã. Simplicius noſtræ fauens opinioni, huic Philoponi hęreſi opponitur, aſſerens, quòd ſubſtantię contrarietas propriè dicta nullo modo competit, & ita intelligit Ariſt. in libro Prædicamentorum, dicens, quòd ſubſtantiæ nihil eſt contrarium; non tamen negat, eandem contrarietatis communiter acceptę eſſe participem, puta illius, quæ inter priuationem, & habitum reperitur. & hæc eſt illa contrarietas, quæ ad generationem, & corruptionem admittendam ſufficit, quam, ſubſtantiam etiam ipſam ſuſcipere nemo it inficias, & per conſequens non negatur, id quod generatur, & corrumpitur ſubſtantiam eſſe, contrarietatemque habere; quæ quidem contrarietas in omni inuenitur genere, quę illa eſt, quę inter informe & formatum, inter figuratum & infiguratum exiſtit. Attamen idem Simplicius in Prædicamentis ſuo com. 19. hanc contrarietatis in communem & propriam diſtinctionem refellit, quando quęrit, quomodo formæ quę eſt ſubſtan-

Concluſio.

Philoponus contra Ariſt.

Simplicij defenſio.

Simplicij contradictio.

tia, priuatio opponitur; & dicit quod aſſerere, Ariſtotelem contraria ſecundùm priuationem communius accipere, ſolutio eſt eorum qui ægrè ac debiliter ſoluunt dubitationem. Quapropter aliter Simplicius ipſe reſpondet, inquiens, quòd forma partim eſt ſubſtātia, partim habitus; tūc uult, quòd ut habitus, eſt contraria priuationi; ſed non ut ſubſtantia. Hęc Simplicij poſitio non eſt ſatis tuta. Primò; quia diſtinctio illa contrarietatis, non eſt, ut ipſe imaginatur, fuga; quum ex Ariſt. in Poſtprædicamento De Oppoſitis, deſumatur; immo conclu ſio eſt ab omnibus recepta; quòd contrarietas latè ſumpta, pro omnibus quatuor oppoſitionum ſpeciebus, nempe pro uera contrarietate, contradictione, priuatione, & relatiua oppoſitione accipitur; nec ipſe Simpl. ibidem hoc impugnat.

Simplicij contradictio uera non eſt cō tradictio

Præterea (niſi ut luſcioſi uagemur) nullā inter Simplicij nouam reſolutionem, & antiquam eam ab eodem neglectam, differentiam conſpicimus. Idem enim eſt in ſubſtantia contrarietatem ſecundùm priuationem admittere, & dicere, quòd formis ineſt contrarietas, quæ eſt ſecundùm habitum & priuationem; quomodo ergo hac diſtinctione recepta, illam reijcit? Vlteriùs quæreremus, Habitus hic, qui in forma conſideratur, uel eſt illi ſubſtantialis, uel accidentalis. Si reſpondetur, quòd primo modo; dubitatio adhuc (ut prius) in proprio robore permanet; quia à pari quęrimus, Quomodo habitui, cùm ſit ſubſtātia, priuatio opponatur, cùm ſubſtantiæ nihil ſit contrarium? Si dicitur, quòd eſt accidentalis; ergo formæ & differentię quę eſt ſubſtantialis qualitas, alia aduenit qualitas; & ſic non eſt contrarietas ſubſtantialis; ergo priuatio quę eſt unum principium rerum naturalium, formę, alteri earundem

principio

principio non opponitur, ſed cuidam principij accidenti, & tandem habens formam ſubſtantialem, habet accidens; cùm illa forma dicat habitum, qui eſt accidens per ipſum.

Dexippus autem lib. 2. quæſtionum in lib. Prædicamentorum, cap. 27. ultra diſtinctionem illam, de contrarietate communi, & propria à Simplicio confutata, quærens quomodo formę priuatio contrarietur, inquit, quòd non opponitur ut ſubſtantia ſubſtantiæ, ſed ut ens non enti, principium ultimo, & bonum malo. Pulchra quidem (uobis uidetur) eſt hæc reſponſio; & ſi eidem Simplicio non arrideat, in quem impręſentiarum digredi ulterius, extra propoſitum eſſet. *Dexippus.*

Verùm Sanctus Expoſitor loco ſuperiùs adducto, aliam affert diſtinctionem; quòd ſcilicet ſubſtantiæ nihil eſt contrarium, quod ſit compoſitum, uel ſecundùm materiam, uel ſecundùm formam ſubſtantialem; eſt tamen aliquid ſibi contrarium ſecundùm propriam diſpoſitionem ad talem formam; ſicuti ignis dicitur aquæ contrarius, contrarietate non ſecundùm compoſitum totum, ſeu ſecundùm materiam uel formam; ſed calidi & frigidi contrarietate; quæ diſpoſitionem ad talem, ſeu talem formam habent; qua contrarietate generatio & corruptio ſaluatur; & noſtra propoſitio defenditur. Primo modo autem dicta contrarietate, dictum Ariſt. in Prædicamentis uerificatur. Hanc Sancti Doctoris ſententiam, & diſtinctionem poſſemus ex Dexippo comprobare; qui libro 2. quæſt. ſuper Prędicamenta cap. 24. quærens, quomodo rationale animal, irrationali contrarium ſit, ſi nihil contrarium eſt ſubſtantiæ? Reſpondet, quòd differentia differentiæ contrariatur; totum uerò toti eſſe contrariũ nullo modo poteſt; quia id quod cõtraria ſuſcipit, eſſe cõtrariũ *S. Tho.* *Dexippus.*

nequit,& ſi ab uno ex contrarijs occuparetur,idoneum eſſe ad alterius ſuſceptionem non poſſet. Et hoc eſt quod uoluit Sanctus Expoſitor, quòd compoſita non contrariantur,& ſic hoc de eorundem diſpoſitionibus minimè negetur,hoc apertiùs idem Dexippus cap.25. & Ammo.in Prædicamẽto Subſtantiæ enucleant.Dicunt enim,ꝙ ignis aquæ, & terra aeri, non aduerſantur ſub ratione qua ſubſtantię ſunt; loquendo de uera contrarietate; ſed qua affectę ſunt qualitatibus; quia per tota ſeipſa non ſunt contraria, cùm non materia & corpore,ſed,ſolis obluctentur qualitatibus. Et Simplicius in accuratiſſimis commentarijs Phyſicis lib.2. exp.11. hæc habet; Igni quatenus quidem eſt utrunque ſimul coniunctum, & eiuſmodi ſubſtantia nihil eſt contrarium, ſed quatenus eſt forma. quod & in Prædicamentis idem confirmat. Quæ quidem omnia,ſimplici doctiſſimi Ammonij propoſitione ita complectimur; Rationabile irrationabili non eſt contrarium, & ſi rationalis differentia irrationali. Eandem S.Doctoris poſitionem quaſi interpretatus Reuerendiſſimus Caietanus,dixit, quòd ſubſtantia uel conſideratur nuda, & in ſe ipſa,(licèt in rerum natura cum tali nuditate reperiatur nunquam)& ut ſic intellecta,omni caret contrario; uel cum ſuis qualitatibus ueſtita,& ita una poteſt alteri opponi. Sed, quoniam hęc diſputatio diffuſiùs à Philoſophis,quàm Logicis diſcutitur, pauca hæc per capita tacta ſufficiant iuuenibus logicę incumbentibus.At licèt alia multa ſuper hac Porphyrij introductione à nobis examinanda uenirent, graui, ne dicam moleſto, ac uario artis medendi(cui ſedulò operam nauamus) exercitio occupati, miſſa illa faciamus, diligentiùs ſi huius operis lectioni aliàs uacare contigerit, quæ omiſſa ſunt (certè non pauca) perſcrutaturi.

Ammonius.

Simplicius.

Caietanus.

hiſque finem imponeremus, niſi quędam, alia lectione comprehendenda occurrerent, quæ quamuis inſtituto alludere non uideantur, auditoribus nihilominus conferent, & ut ea quę in primis Logicæ rudimentis habita ſunt principaliora, ad memoriam reuocentur, aliquantulum congruent.

CONCLVSIO ADDITA.

Quoniam De quinque uocibus, præſens Porphyrij Introductio inſcribitur; harum cognitio ab ea uocum tractatione, quæ à Summiſtis agitur, petenda non eſt: in qua nimium hallucinatus eſt Petrus Hiſpanus.

IN primo huius lecturę aditu, pręſentem diſputationem habere ſolebamus, nec abſque rationis propoſito. Quia enim logicę facultatis tyrunculi poſt intellectam terminorum ſeu uocum à Summiſtis editam tractationem, ad hoc Porphyrij introductorium opus conſcendunt, quod paſſim de quinque uocibus inſcribitur, & ſub eodem titulo à Gręcis potiſſimùm authoribus adducitur; ideo ne ab ipſa nomenclaturæ occaſione decipiantur, aliud hic per uoces, aliud ibi importari monitos illos uolumus. Hìc nanque quinque ſignificantes uoces intelliguntur, ad quas uox omnis ſignificans (indiuiduis exceptis) ut Ammonius aſſerit, reducitur, *Extraneæ huius propoſitionis occaſio.*

tur:ibi autem per uocem authores illi tum eam, quæ ſignificare apta nata eſt,prolationem recipiũt: tum etiam eam,quæ nihil ſignificat. Hoc quidem intelligendi modo, magnam talium ſcriptorum partem deceptam fuiſſe, rem intimiùs ſpeculantibus patebit: quam cenſuram Petrus Hiſpanus certè non aufugiet. Hic nanq; primo ſuo tractatu, ſonos illos nihil ſignificantes, auditruiq; noſtro nihil repræſentantes, voces appellat: cuiuſmodi ſunt ly Bu, Ba, Baf, Blitiri, &c. unde ueram, quæ ab Ariſt. tradita eſt, uocis diffinitionem non uidiſſe, inſinuat Ita enim habet Magnus Magiſter ſecundo de

Hiſpani lapſus.

» Anima tex. 90. Percuſſio reſpirati aeris ab aïa, quę
» eſt in his partibus, ad uocalem arteriam, uox eſt.
» Et ſubdit: Non enim omnis animalis ſonus, uox
» eſt, ſicuti diximus; eſt enim & lingua ſonate, & ſicut
» tuſſientes. ſed oportet animatum eſſe uerberans, &
» cũ imaginatione aliqua. Et rurſus ait: Significatiuus enim quidam ſonus eſt uox, &c Cùm igitur per Ariſt. vox duo habeat; quę in unum coincidũt: quòd ſcilicet cum imaginatione aliqua proferatur, & quòd ſit ſignificatiuus ſonus; ſequitur quòd nullo pacto ly Buf, Baf, poſſint uocis nomine donari; cùm nihil prorſus ſignificent. Quocirca malè idem Hiſpanus author, uocem in ſignificantem & nihil ſignificantem diuiſit: quum Ariſtotelis decreto, omnis uox ſignificatiua ſit. Cùm igitur minùs Peripateticè hanc diuiſionem erexerit; errorem inde ortum fuiſſe dicamus, quòd uocem per ſonum ab animalis ore prolatum, & naturalibus inſtrumentis formatum diffiniuit: In qua diffinitione, pręcipua illa particula defuit, quòd ſcilicet, ſit talis ſonus cum imaginatione factus; ſiue illa ſimilis, quòd ſignificatiuus ſit.

Vocis ratio.

Defenſio pro Hiſp. Inſtabit pro Hiſpano doctore fortè aliquis: uocem, nomen eſſe quoddam analogum aſſerens; un-

de

de primam uocis ſignificationem, illa quæ ſignificatiua eſt, ſubibit; ſecundam uerò ea diuiſionis portio, quę nihil repræſentat. & hic primam diffiniuit in libro de anima Ariſto. utriuſque autem aggregatum diuiſit Petrus Hiſpanus: & hoc medio ſuum authorem ab iniuria uindicare nititur Verſoris Pariſienſis doctor. Sed nos reſpondebimus, futilem eſſe huiuſmodi defenſionem, ſupponentes, nominis analogi eam eſſe rationem, quòd eius quidditas eodem modo ab omnibus participetur; quo ſcilicet ad participari eſſentiam. Verùm inter ipſa analogata hoc admittitur diſcrimen; quòd quędam priùs, quędam poſteriùs, communis illius analogi naturam ſortiuntur; non tamen hinc ſequitur, quòd aliquod à uera analogi ratione deficiat. Quo factum eſt, quòd inter uniuoca & ęquiuoca, analogis ſedem tribuant Peripatetici; quum æquiuocorum quidditas ſit longè diuerſiſſima; uniuocorum autem penitus eadem; analoga uerò, ab illis dirimuntur, quia in quidditate, ipſa communicant; ab iſtis autem, quia ordinem, in quidditatis participatione admittunt; quod uniuocis æquè quidditatem participantibus non euenit. ut exemplo entis patet, quod ad ſubſtantiam, & accidens analogicè deſcendit; cùm primò de ſubſtantia, ſecundò de accidente dicatur, ut Ariſtot. tum in 7. tum etiam in 12. Metaphy. docet; quod modò (pro exemplo cùm adductum ſit) ſupponatur; & ſi aliàs dabitur occaſio, diligentiùs ex Sancti Doctoris officina dilucidabitur. Entis igitur ratio ab utriſque participatur; ſed priùs a ſubſtantia, poſtmodum uerò ab accidente. Modò ſi de ratione & quidditate uocis eſt, quòd ſignificatiua ſit; & cum imaginatione prolata; quomodo uel adhuc analogicè in ſignificatiuam,

Confutatio.

Analogũ quid.

tiuam, & non ſignificatiuam diuidi poterit? cùm uox non ſignificatiua, ueram uocis rationem nequaquàm ſapiat.

Videmus nihilominus, quòd rurſus Hiſpanum tuebuntur proterui;ſed cùm hi ueritatis ſtudio minimè teneantur; proprijs inhærere ſectis permittantur. Sed interim,quoniam ex Summiſtis nonnulli non uocum,ſed terminorum diuiſiones condunt;aduersùs eoſdem hanc erigamus concluſionem:

Alia concluſio

DECIPIVNTVR illi pariter,qui eoſdem ſonos,intellectui nihil ſignificantes ſiue repræſentantes, in pręcedente propoſitione recenſitos,terminorum aggregant numero. Soni enim illi nihil ſignificantes(quos perperàm a Petro Hiſpano uoces,fuiſſe appellatos in ſuperiore propoſitione concluſimus)ab alijs termini,& adhuc ineptè nominantur. Inter quos bonum, ac nunquam ſatis laudatum Chryſoſtomum Iauellum non poſſumus non admirari;qui exponens terminos per ſe non ſignificatiuos, illos eſse dixit,cuiuſmodi ſunt Buf, Baf. &c. quum nulla talium prolatio,termini nomen mereri debeat:immo nec eam, quam communiſſimam idem Iauellus appellat, termini diffinitionem ſortiri poſſit: ut pręteream us intereà illam Pauli Veneti, quam arctioribus comprehenſam limitibus, in ſua logica idem Paulus aſſignauerat.

Iauelli culpa.

Sic quidem Iauellus communiter dictum terminum diffinit; ſub quo maximè huiuſmodi ſoni nihil intellectui repræſentantes (ſi quoquo modo termini appellandi uenirent) eſsent collocandi: Terminus eſt pars propinqua conſtitutiua orationis, & propoſitionis. Hac definitione ita ſe habente,uidetur quòd prolationes illæ Buf, Baf, &c. nullo pacto termini dici queant;etiam communiſſimo termini recepto nomine, quum nullo modo

ora-

orationis,uel propoſitionis, propinquę partes eſſe ualeant: quod eſſe de termini quidditate & eſſentia,iam ab eodem authore ſancitum eſt.

Rectiùs ergo Paulus Venetus effecit, qui per terminos per ſe non ſignificantes, eos, qui ſincathegorematici nuncupantur,intellexit;id eſt qui per ſe non ſignificant, ſed cum alio ſignificare apti nati ſunt: cuiuſmodi diſtributiua ſigna exiſtunt, ceu Omnis, Nullus, Quilibet, &c. quæ dictiones potiùs conſignificatiuę, quàm ſignificatiuæ dici merentur. & ut ſic ijdem termini ſincathegorematici,communiſſimam terminorum diffinitionem nequaquam effugient,ut liquet. *Veneti diligẽtia*

Nec contineri poſſumus, quin alium eorundem Terminiſtarum in eadem tractatione lapſum detegamus; pro cuius declaratione,ſequentem apponemus concluſionem:

NEC MINVS ijdem deridendi ſunt,quando gemitus infirmorum,& latratus canum, terminos naturaliter ſignificantes, poſſe dici imaginantur & autumant. Vnde eadem ratione, cui præcedens innitebatur concluſio, idem Iauellus arguendus uenit; qui huiuſmodi infirmorum gemitus,& canum latratus,terminorum naturaliter ſignificantium numero aggregat. Hoc nanque rationabile minimè uidetur,exiſtente(ut pręmiſimus) pro fundamento ipſa termini diffinitione; quòd ſit pars orationis propinqua, eiuſdemq́ue conſtitutiua: Qua enim ratione (quęſumus) latratus canum,riſus hominis, ſuſpirium,fletus,leonis mugitus,hinnitus equi,& innumera ſimilia,orationis partes eędemq́ue propinquę,ex quo termini diffinitionem ingrediantur,dici poſſunt? nulla profectò. Neque neceſſarium eſt,ut hoc pluribus arguatur:talis quoniam poſitionis duntaxat relatio, ſecum adiũctam ducit improbationẽ. Illa tamen fuit bono Iauello *Alia concluſio* *Iauelli illapſus.* *Errati occaſio.*

oblata

oblata erroris cauſa, quòd ſicuti hæc ipſa iam iam enumerata omnia, naturaliter ſignificantia eſſe obſeruabat; ſic eadem, terminos naturaliter ſignificantes dici poſſe, ſibi ipſi perſuadebat. At aliud eſt naturaliter ſignificare ſimpliciter, per ſe, & abſolutè, & aliud ſignificare naturaliter ut terminus; quemadmodum patet. Nec quoque in hac parte, nota Petrus Hiſpanus carere poterit, qui tales illos ſonos naturaliter ſignificantes, nempe latratus canum; gemitus infirmorum &c. uoces naturaliter ſignificantes eſſe aſſeruit, quum (uel eodem Petro teſte) uox ſonus animalis ſit, ab ore prolatus, naturalibusq́ue inſtrumentis formatus; at huiuſmodi paſſiones, gemitus nimirùm, riſus, ſuſpiria, fletus &c. ad hoc ut emittantur, naturalibus inſtrumentis minimè indigent. cùm adhuc & clauſo ore gemat dolens, hilaritatemq́ue commonſtret exultans, &c. Voces igitur dici non poſſe (quemadmodum nec terminos appellari probauimus) denique concludamus.

Hiſpani falſa opinio.

Accuratiùs igitur Paulus Venetus ſe geſſit, qui terminos naturaliter ſignificantes, eos duntaxat enumerauit, qui apud uniuerſas nationes, idem apti nati ſunt ad repręſentandum, ut homo, lapis, & reliqua, in mente tamen concepta. Viſus nanque a quauis natione lapis, uel homo, eundem apud omnes conceptum naturaliter parit, quod ille ſcilicet conſtruendis domibus ſit aptus, hic ratiocinio. Quòd ſi aliquis Paulo obijciat; Cùm terminus (per eundem) orationis pars ſit, quomodo lapis, uel homo in mente; terminus nuncupabitur, orationem ipſam ceu pars, (quando in mente conſiſtat) non ingreſſurus? Reſpondebit fortaſſis, quòd huiuſmodi termini in mente, ſi uocalem ſeu ſcriptam orationem non conſtituent, mentalis nihilominus conſtructionem

Veneti commendatio.

Obiectio.

Solutio.

nem adibunt, atque hoc ut à terminorum ratione non excidant, ſufficere poteſt.

Huc uſque tandem diſputationis de uocibus affinitas nos digredientes perduxit, ut à proprijs nō ſtrę tractationis terminis, ſermo de terminis nos egredientes, ad extraneos terminos compulerit. ſed iam hic diuerticulum noſtro termino congruo terminabimus, ubi eiuſdē Pauli Veneti, cuius huc uſque diligentiam commendauimus, incuriam annotauerimus; quæ annotatio præſente comprehenditur propoſitione:

PROPRIIS adhuc repugnant principijs qui terminos, per complexos, & incomplexos diuidunt. Habet nanque Venetus iſte Doctor, in ſexta quam terminorum facit diuiſione, quòd terminus per complexum, & incomplexum diſtinguitur. Hęc quidem termini partitio, proprijs eiuſdē Pauli contradicit principijs; quandoquidem ipſe terminum diffinens, dixerat illum eſſe ſignum orationis conſtitutiuum, ut pars propinqua eiuſdem. Quo ſuppoſito, ac cōceſſo; terminum dari aliquem, qui complexus exiſtat, poſſibile minimè uidetur; quoniam (eodem authore) terminus complexus eſt, ut oratio, quamobrem impoſſibile eſt, quòd oratio propriā termini diffinitionē ingreſſura ſit, quoniam oratio ſignum orationis (cuiuſmodi termini ſunt) eſſe nequit; idem nanque ſui ipſius ſignū eſſet; & per conſequens, ſignū & ſignatum. Pręterea tunc oratio reſpectu eiuſdem, eſſet totum & pars; nam ſub ratione qua terminus eſſet, pars orationis propinqua eſſe deberet; cùm hoc ſit de termini quidditate; & ſub reſpectu, quo oratio eſt, totum quoddam oportet ut ſit, cuius propinquæ partes termini exiſtunt. atque hæc quæ incommoda, quantamvè abſurditatem pręſeferant, uix imaginari quiſpiam poterit.

Alia concluſio Veneti repugnātia.

Con-

Concludendum igitur à nobis eſt ; quòd termi nus per complexum & incomplexum nullo pacto diuidi poteſt: ſi tamen ſub complexo oratio ipſa accedat intelligenda. At potiùs, ſi admitti debet huiuſmodi terminus, complexus nuncupatus ; aggregatum quoddam plurium incomplexorum terminorum abſque copula, quæ orationis forma exiſtit, eſſe deberet ; cuiuſmodi eſt, Plato diuinus philoſophus, Petrus Caluus frater maior optimus chariſſimus hyſtoriographus, muſicus, et cætera ſimilia dictionum aggregata ; quæ, plures quàmuis uoces contineant, terminorumque multorum complexionem; orationem nihilominus, quum uerbo careant, nequaquam perficiunt : ſed propinquæ illius partes rationabiliter dici queũt. Verùm quoniam ſermonis affinitas(ut paulò ſuperiùs diximus)a uocibus uniuerſalibus, ad uoces orationis partes, & ab his ad terminos magna diuerſione, ſed fortè adoleſcentum non contemnenda utilitate, propoſitiones has noſtras traxit ; illis hac uice manum imponamus ultimam ; logicales alias, philoſophicas, ac Medicinales, quarum bona pars perfecta apud nos eſt, fortaſſis edituri, quando Domini noſtri, IESV CHRISTI, Dei & Hominis, benignitas nos a tot corporis laboribus, animique erumnis, quibus ſummopere impręſentiarum affligimur, reddet immunes; ac Lectoribus non ingratas haſce uigilias eſſe ſentiemus. Sit eidem Dei, ac Virginis filio laus, & gratiarum actio; qui huiuſmodi concluſiones, multis ab hinc temporibus compoſitas, nos tranſcripſiſſe conceſsit Calendis Semptembris, anno ab ipſo nato M. D. LXXII. ſub quo, nuſquam aliàs, audita uictoria aduerſus Selim Ottomani, Turcarum Imperatoris, Eccleſięque hoſtis ſęuiſsimi numeroſam claſſem, Chriſtianæ Reipublicę mirabiliter euenit,

Terminus complexus qui.

Mira Christianorũ victoria.

Sereniſ-

Sereniſſimo domino Don IOANNE Ab Auſtria, CAROLI Quinti Cæſaris Maximi filio, PHILIPPIQVE potentiſſimi Regis fratre, fœderis inter Sanctiſſimũ PIVM Quintum Pont. Opt. Max. eundemquè Inuictiſſimum PHILIPPVM Regem Catholicum, & Illuſtriſſimum Dominum ALOYSIVM Mocenigum, Ducem Venetorum, initi, Duce fœliciſſimo. Cuius nos mirandi pręclariſſimiq; facinoris hiſtoriam publicæ lætitiæ argumentum facientes, nullisq; parcentes vigilijs, carminibus, nouis artificijs, varijs & penè incredibilibus laboribus, contextis; eorundemq; deſcriptione triumphalis vexilli figurã efformantibus; nec non triremium, ratium, carinarum, ſiue magnarum triremium Venetarum, Chriſtianę claſſis numerũ; atque in quatuor præcipuas acies diſpoſitionem; ipſo mirabilis victoriæ die, ſeptimo Octobris habitam, repræſentantibus, edidimus; quam eidem Auguſtiſſimo domino, non minus humaniſſimo quàm altiſſimo, Religioſiſſimus Pater & dominus atque Seraphicæ Religionis ornamentum, Alonſus Seranus, Celſitudinis ſuæ concionator celeberrimus, ad modum Reuerendo doctiſſimoq; Theologo eiuſdem ordinis Patri Vincẽtio è Meſſana, rerum mearum benigno fautori morem gerẽs, nuper obtulit; fuitq; (ceù præſtantiſſimi hi Patres ſcripſerunt) tanto Principi ſummopere grata, ac iucunda; quem Deus, vti hoc anno perficiendę victoriæ potentiorem præbet, ita & glorioſiorem reddat.

Vexillũ immenſo labore à nobis concinnatũ.

Abſolutio Concluſionum.

MICHAELIS
CALVI ET SALONIAE,
SICVLI HYBLENSIS, ARTIVM ET MEDICINAE DOCTORIS,

APOLOGIA

Pro omnibus Ariſtotelis Expoſitoribus.

In qua defenditur, librum Prædicamentorum eſſe Logicum, aduerſus Hieronymum Balduinum, & aſſeclam.

Quanquàm multis abhinc annis elaborata, nunc primùm in lucem edita.

M D L X X I I.

ILLVSTRISSIMO AC SAPIENTISSIMO DOMINO, DON SIMEONI AB ARAGONA, PATRONO SVO BENIGNISS.

Hieronymus Caluus Canonicus Syracuſanus S.

QVVM ſuperioribus diebus Illuſtriſſ. Domine, Michaelis fratris mei ſcripta quædā Logices, cui, eo doctore, aliquātiſper incumbere ſum ſolitus, euoluerem; in quaſdam incidi lucubrationes, quibus uetuſtiſſimos Ariſtotelis expoſitores, ab Hieronymo Balduino Doctore ſanè acutiſſimo, in quibuſdam quæſitis immode-

ſtè nimis, ne dicam arroganter reprehenſos (dum Neapoli olim ageret) omni conatu tuebatur: quæ quoniam concluſionibus ſuper Porphyrio, quas nuper Magnifico Ioanni Comencino Venetias petituro typis cudendas me monitore cõmiſerat, diſſentaneæ mihi minimè uidebantur, illas eidem typographo priuſquam è Meſſana diſcederet, mittendas ſuffuratus ſum. Verùm inter eas primam, quæ de libro Prædicamẽtorum agit, quæſtionem, concluſionibus alligandam ſelegi: ut ſicuti ad Prædicamẽtorũ opus, Porphyrÿ dirigitur introductio; ſic et ſuper hac editæ cõcluſiones, illius Apologia defendantur. Et quemadmodum illas, frater idem meus, uirtutum tuarum alioquin reuerẽdiſſimarum indefeſſus præco tibi deuouebat;

ita

ita & hanc pariter fraterni uoti, proprijq́ deſiderij me ipſum ego reddens compotem, tuo Illuſtriſsimo nomini ſacram facerem: ut uel hinc ſummæ qua te proſequor, obſeruantiæ pateat argumentum. Ipſe enim tibi non modò, ſed nobiliſsimæ domus tuæ cuiuis tantùm debeo, quantum uix fateri ualeam: quandò inter gratias innumeras, quibus ab Illuſtriſsimi patris tui, domini mei Excellentia donatus ſum, eluceat illa maximè, quòd ſuæ Hyblæ, patriæ meæ parochus (quàmuis indignus) ſim. cuius beneficij, tua me ante alios incredibilis humanitas certiorem reddere (ut bene recolo) dignata eſt. Sic te Deus illi reducem, ac ſicuti uirtutis tuæ integerrimæ, ac morum reuerendiſsimorum merita expoſcunt,

Præſtantisſimi Doctoris, Domini Alphonſi Beniuenij, Philoſophi, ac Syracuſarum Protomedici, Hexaſtichon ad Lectores.

Dogma uetus, laudũ cupidi ſpreuere quod olim;
Nunc Caluo, logicis ecce reſurgit ouans.
Protinus, illæſum noſcent rediÿſſe legentes,
Vipereis tutum morſibus, & Cynicis.
Vobis grata, ſciet quãdo hęc monumenta Michael
Maiora is, frater qui meus, author aget.

MICHAE-

MICHAEL CALVVS ET SALONIÆ DOCTOR, LECTORIBVS S.

QVAESTIONES Logicales, quas ſedecim iam ſunt anni in Neapolitano gymnaſio, philoſophiæ ſtudens elucubraueram: puluere obrutas, ac carie penè obſeſſas, ad manus Hieronymi fratris mei Canonici Syracuſani, meas (ut aßolet) literarias ſupellectiles omni ſtudio perquirentis, occurrerunt: qui iampridem concluſiones quaſdam, ex lectionibus noſtris ſuper Porphyriũ ſelectas, imprimendas miſerat. Quocirca me mirum in modum coegit, qui illis has Alexandri communis fratris ope, quàm citißimè tranſcriptas, coniungendas permitterem: & quoniam tractatus inter ſeſe longè diſpares non eſſent; & inde uolumen, turgidius aliquãtulum effectum, lectoribus fortè gratius exhiberetur. Ego autem id negabam, ueritus ne quis, tot annorum intercapedine huius prouinciæ laborem, alioqui à ſtudioſis ſuſcipiendum, acceptum in lucem prodidiſſet. ceu mihi ipſi, ſuperioribus annis contigit: qui dum de febre tertiana elaboratam tractationem aduerſus quoſdam neotericos, ſub morbis acu-

tis

tis illam comprehendentes, publicæ pararem editioni: en uenale huiuſce rei quæſitum à Ferdinando Caſſano olim noſtro condiſcipulo atque amico, nunc Doctore eruditiſsimo, dum Nethi cum Excellente ac Generoſo Mariano Pipi Medico, ac Bonſale Baroni de ęgritudine ſpectabilis Dominę Catherinæ Specialis colloqueremur, oblatum eſt; quod adeò meo conueniebat operi: quod ſi hoc fortè fuiſſet impreſſum, alterum ab alterò ferè tranſcriptum lectores iudicauiſſent. Quùm igitur de pari euentu (quem Deus auertat) ambigerem, pręſertim, quia in noſtrate Hybla neoctericorum librorum exempla, nulla traditur uidendi occaſio: idcircò ſolicitæ fratris obſiſtebam petitioni. Sed Deum teſtor, quam ſi mentior, ſeuum in me ultorem poſco, nullum huc uſque huius argumenti libellum cernere licuit. Qua propter poſt fraterna iurgia, beneuolasq; cõtentiones, ſemiſepultę lucubrationes, quòd fratris opera reuiuiſcerent, tandẽ annui. Quæſtionem igitur duntaxat libri Pręedicamentorum, Concluſionibus in Porphyrium, ut eiſdem maximè affinem, annectendam tradidi. Nam ſi (ut Balduinus putat) liber Pręedicamentorum logicus non eſſet, nec quę ad illum Porphyrij introductio ordinatur, logica nuncupari poſſet: cuius oppoſitum ibi ſępius incul

caui: hęcque inter cęteras Balduini, utilior mihi ſemper uiſa eſt diſputatio, nec minus Domino Leonardo ab Orlando erudito Philoſopho, ac Medico experientiſsimo grata, quo cum Heraclię ęgritudinis per quàm Illuſtris Domini Don Ioſeph ab Aragona curationi intendentes, eandem ad tollendum ocium interdum agitabamus. Reliquum eſt, Deum precer, ut labores hi, uobis (candidi Lectores) non diſpliceant: generoſiſsimæ præſertim ac numeroſę Illuſtriſsimi ac Excellentiſsimi Domini DON CAROLI ab Aragona Principis, & domini mei ſoboli: in cuius gratiam, & ſub cuius ſplendore, ac clypeo emittuntur, quam non minus in re literaria, quàm militari pręcellentem, curat pater prudētiſsimus educandam: cuius euentus alioqui optatiſsimi, tutior ac certior tunc reddar, quando Hieronymo Zangheo, bonarum ſcientiarum perito, Illuſtriſsimorum eiuſdem domus adoleſcentum digno pręceptori placuiſſe cognoſcam. Valete Hyblę x. Calen. Decemb. Anno à reſtaurata ſalute 1572.

PAVLO

PAVLO GALLO DOCTORI

Prædicatoriæ familiæ ornamento, Diuini uerbi concionatorum uenuſtisſimo, & amicorum amicisſimo,

MICHAEL CALVVS.

EDIDERAM quondam logices quæſita: tuebar
Ipſe quibus ueterum dogmata digna coli.
Parcere nec uolui (me iam diſcente) labori,
Ponderis eximij, ſi mihi uiſus erat.
Sufferre haud potui, perculſi turpiter eſſent
Morſibus Authores, à quibus omne bonum.
Inter quos aderat Doctorum ſplẽdor AQVINAS:
Eſt qui doctrina, compar Ariſtoteli.
Hunc ego ceu numen colui, referamq; Magiſtrum
Vt ſummum uitæ tempus in omne meæ.
Latratus uarios ſum nixus tollere, in illum
Quos Baldinus habet, dum nimis auſus agit.
Parthenope eſſemus (recolo uelut) inſimul olim,
Id tibi, noſcebam, quòd placuiſſet opus.
Conſcius ipſe mei genij, rerumq; mearum,
Nolebam luci tradere ſcripta tamen.
Vnica permiſi tandem, iſthæc queſtio prælo

Vt detur: atq; forâs, fratre coactus eat.
Materia hæc ſequitur librum tractata priorem:
Et ualidum finem cuius, amica facit.
Galle legas igitur, mea tu qui cuncta fouere,
Meq́; ex corde ſoles; hęc noua ſcripta precor.
Corrige dumq́; legis peccata: ſuperflua deme:
Arbitrioq́; tuo iunge quod atq; deeſt.
At quoniam, inuidia ſcioli his maledicere paucis
Poſſent excubijs, tu mens Hector eris.
Vnguibus à teneris fueras mihi ſemper amicus
Qui; ſis protector Galle uenuſte modo.
Hoc opus à docto uult, ac ſolerte foueri
Tu at ſapiens Paulus: Gallus es atq; uigil.

MICHAELIS
CALVI ET SALONIAE
SICVLI HIBLENSIS,
APOLOGIA.

Pro omnibus Ariſtotelis Ex-poſitoribus.

In qua defenditur librum Prædica-mentorum eſſe Logicum.

ADVERSVS HIERONYMVM BALDVINVM, ET ASSECLAM.

PRAEFATIO.

EA mihi in legendis Scriptorum monumentis perpetuò fuit animi propenſio; ut quos modeſtos, humanosq; ueterum dogmatum ac opinionum offenderem reprehenſores; mira proſequerer beneuolentia; eorumq; ſententias alacri legerem ſtudio : uel ille meo arriderent genio, uel non. quandoquidem non prorſus deſpiciendos illos cenſeo

(ſicuti

ſtotelis Interpretes exprobrans:hoc impudẽter utitur ſcommate: Contra uniuerſos Ariſtotelis expoſitores Grçcos, Arabes, & Latinos:illos interdum logicaſtres, aliquando philoſophaſtres, nonnunquã Auerromaſticos, conuiciator appellans. Ni Balduinum quiſpiam ab infamia uindicans; non eidem, ſed tranſcriptori peccatum impingat: qui proloquijs, ornatioribusq́; ſtudens uerbis, (quæ loquacitates alij nuncupant) facundiorem, ſeu talibus obtrectationibus medijs, ſe lectoribus gratiorem præſtaturum peruersè imaginatur: bonorum interim authorum ingenia faſcinans, ac ſcripta deturpans: quæ dum perfunctoriè, ac oſcitanter legit, uanè nedum petulanter criminatur, & uerberat. At me (mea niſi fallat opinio) lectores potius hoc ſcribendi more, pro iucundis maleuolos, pro beneuolis aduerſos, ab ipſo ſtatim ingreſſu ſibi aſciſcit: Hanc ipſe dum admirarer audaciam, ne dicam, impudentiam; reprehenſorũ doctorum, eorũdemq́; clariſſimorum, tot aduerſus latratus patrocinium protinus auſpicatus ſum, non quòd tanti me ipſum cogitarem, ut mea egere uiros illuſtres protectione ſuſpicarer: nullo ſiquidem Sol, ut conſpiciatur, eget candelabro: ſed ut eruditioribus cõgrui muneris anſam porrigens; et illi apologe

geticis incumbentes lucubrationibus, ab obloquentium calumnijs antiquiores tuerentur; & ego illud ocij, quod poſt auditas, ac trutinatas lectiones nanciſci poſſum, honeſto exercitio, quod & adhuc in ſtudiorum meorum claſſem, quibus in hoc Parthenopeo gymnaſio operam nauo, referri poteſt, impenderem. Quæſita quę circunferuntur iſta hæc ſeptem ſunt; quorum priora duo philoſophica, quinque uerò logicalia exiſtunt. Ego autem in hac priſcorum Doctorum Apologia(quæſita naturalia fortaſſis hinc ad annum diſcuſſurus) Logicalia duntaxat eruere pro uirili parte conatus ſum; hoc ordine, quòd illorum tria priora, ſimplici impręſentiarum comprehendo quæſtione; ſub quinti titulo, de libro Prędicamentorum: An ſcilicet ſit pars Logicæ, an Metaphyſicæ, quæſitum hoc, materiæ continuatione quartum, in quo de primo libro Logices agitur, inſequi debuit. Oſtenſo enim, quòd logicus ſit Prædicamentorum liber, ad uerſus quintum, expoſitum pariter remanet, eundem primam in logica ſedem ſibi uendicare, contra quartum. Et quoniam idem Balduinus, ſupponens definitionem, inſtrumentum ſciendi nobilius eſſe, & quòd de eadem ut ſcientifica in 2. lib. Poſt. agatur; rationes erigit eundem Prædicamentorum librum non

eſſe logicum concludentes: ideo ad has etiam rationes (ut par erat) diluendas, fundamentum peſſum ire totum oportuit, unde & tertium eiuſdem quæſitum de nobiliore inſtrumento ſciendi corruit. Secundò ſextum aggrediar, in quo de Logicæ ſubiecto diſſeretur. Tertiò ſeptimum, an Logica ſit ſcientia: in quo paruo (ut cenſeo) labore multa ſcripſi: tum in ſoluendis Balduini obiectionibus, tum in quibuſdam impugnationibus refellēdis, quas neſcio quis iuuenis, aduerſus excellentem Philoſophum Franciſcum Storellam, preceptorem noſtrum & amiciſſimum, eandem ſeptimi quęſiti materiam, ſub clypeo Philoſophi ac Medici eminentiſſimi Ioannis Philippi Ingraſſię diſcutientem, imaginatus eſt. Cuius quidem inſtituti, uerbum nequidem unum eidem domino Storellę feci. hinc ut ipſe ſic à me amari tandem agnoſcat; ut uel eo inconſulto, & fortè inuito, ſuarum editionum tuitionem (etſi illa nequaquam egent) me quàm lubentiſſimè fuiſſe aggreſſum. Ceterùm Lectores deprecor, ut ęquo animo, utriſque poſitionibus perpenſis, & legant pariter & iudicent. Ponam ergo primùm in hac tractatione ſingulas Balduini quinti quęſiti rationes: tum ad quamlibet reſponſionem afferam, opus Prædicamentorum logicum eſſe

declarans. Secundo rationes illud Logicum & non Metaphyſicum eſſe probantes, adducam. Tertiò annexa quędam Apologiæ neceſſaria adiungam.

PRIMVM CAPVT, IN QVO ADVERSARIORVM RATIONES PONVNTVR, ET DILVVNTVR.

Prima Hieronymi Balduini ratio, qua librum Prædicamentorum non eſſe Logicum, ſed Metaphyſicum probat.

IN eadem ſcientia vel arte conſideratur de ſpeciebus, principiis, & affectionibus ſubiecti, in qua conſideratur de ſubiecto. Sed de ente tanquàm de ſubiecto conſideratur in Metaphyſica. Ergo de ſpeciebus entis, quæ ſunt decem Prædicamenta, ſic etiam de entis principijs, eiuſq; affectionibus in Metaphyſica tractari debet; & ſic Prædicamentorum liber, in quo de decem Prędicamentis agitur, non logicus ſed Metaphyſicus dicetur. Maior ex Ariſt. in primo poſt. t.c. 179. ſumitur: ubi habetur, ſcientiam contemplari ſubiectum, principia, partes, & paſſiones. Minor ex eodem 4. Met. 1. quòd Metaphy. ens, inquantum ens, ſpeculatur; & quę huic inſunt ſecundùm ſe, &c.

Huius Rationis ſolutio.

QVANQVAM huius acutiſſimi Doctoris Maior ex Ariſt. doctrina deprompta eſt, & veritati innititur; nihilominus (vt noſtra fert opi- *Limitatio notã da.*

 nio)

Limitatio notāda. nio limitanda uenit: quia ſubiecti principia, partes etc. diuerſis poſſunt conſiderationibus, & per conſequens diuerſis formalibus rationibus ſubijci. Vnde à varijs ſcientijs ſeu facultatibus tractari nō repugnat. Sic igitur verius maior illa erigenda eſſet. In eadem ſcientia, in qua conſideratur ſubiectum, debent ſpecies ſubiecti conſiderari, ſi ſecundùm formalem rationem conſiderationis ſubiecti, eędem ſpecies tractandæ veniunt; ſed ſecus, ſi ſecundùm aliam variamq; rationem formalem. Tūc ad argumentum dicimus, quòd de Prędicamentis debet in libro Metaphy. tractari, quando ipſa ſecundùm eam rationem formalem conſiderantur, ſecundùm quam & ſubiectum ipſum, cuius prædicamenta partes exiſtunt, tractatur, hoc eſt, ſi ſecundùm quòd entia ſunt, conſiderarentur. Modò eadē *Prædicamēt. in lib. proprio qūo conſiderantur.* in eo libro De Prędicamentis inſcripto, qui circū fertur, nō conſiderantur quatenus entia ſunt; quia ut ſic (ut argumentum cogebat) in quinto Metaphy tractarentur; ſed ut entia rationis ſunt, conceptusq; entia ipſa exprimentes. Quòdque hoc rei ipſa ueritas moneat, aliarum ſcientiarum ſubiecta ſuadent; qua enim (quæſo) occaſione de ente mobili Metaphyſicus non diſſerit, quum entis uniuerſaliſſimi pars, ſpeciesque ſit? certè non ob aliud, niſi quia uaria eſt conſideratio, formaliſque ratio, qua de ente in libro Metaphy. agitur, & qua de eius parte, ſeu paſſione in naturali philoſophia. Rurſus, cur in hac ſcientia, varia in uarijs libris particularibus ſubiecta contemplantur, quum tamen ea omnia partes illius ſubiecti exiſtant, quo de in libris de phyſico auditu agitur? At non niſi, quia non vnica omnibus illis cōſideratiōis ineſt ratio. Et quem *Vnde entibus ac ſcientijs varietas* admodum entium varietatem, formæ ipſæ ſunt, quæ producunt, uariæ, ſic ſcientiarum diuerſitatem diuerſi conſiderationum modi pariunt. Quomodò

autem

autem ſub alia ratione decem Prædicamenta à Metaphy.tractantur,& ſub alia à Logico, fortè quum ad alias Balduini obiectiones deſcendemus, dilucidiùs exponetur,ad quas iam accedamus.

Secunda Balduini Argumentatio.

ITERVM arguit iſte doctor, ratione, vt inquit, vafrisſima, & demonſtratiua ſic. Modus conſiderandi ſumitur à modo definiendi. ſed in libro Prædicamentorum definiuntur Prædicamenta ipſa quatenus entia ſunt; ergo ibidem decem prędicamenta,vt entia ſunt,conſiderantur. Verùm conſiderare prædicamenta,vt entia,atque res,munus eſt Metaphy.liber igitur prędicamẽtorum metaphy.erit & non logicus. Maior multis mediis ac verbis probatur,quę,quoniam recipitur, hic repeterę ſuperuacuum exiſtimamus. Minorem patere putat, in omnibus prædicamentorum definitionibus facta inductione. Non enim,inquit,ſubſtantię, quantitatis &c. definitiones eis conueniunt, niſi quatenus entia ſunt, & res. Vlterius Ariſt. eodem modo in quinto Metaphy.prædicamenta definit, & in libro Prædicamentorum;ſed ibi ut entia ſunt & res, pariter igitur in lib. Prædic. ut entia definiuntur; erit ìtaque talis liber non logicus, ſed Metaphy.

Reſponſio.

VIDETVR hæc ratio peculiaris impugnatio eorum quę ad primam reſpondentes explicuimus;qua propter eiuſdem minorem negãtes,noſtram tuemur poſitionem. At non poſſumus

tantum virum non admirari, qui eandem minorē inductione in ſingulorum prædicamentorum definitionibus facta, patere aſſeuerat, & tamen nec unā quidem definitionem in medium affert diſcutiendam, eius quam intendit ſententiæ probationem, veritatemq́ue oſtēſurus. Quod, ſi, ut proponit, opere compleret, proprio placito nequaquam contentus, ipſi fortè quicunque aliter ſentiunt, acquieſcerent. Nunc autem, quia verba ſentiunt, probationē verò non vident, credere minimè coguntur, & ſic uafriſſimæ, quam putat, rationi ſilentio ſatisfaciūt.

Quomodo quæ ī præſenti habētur, logicæ ſubÿciuntur conſiderationi.

Sed agè digladiemur nos, experiamurq́ue num quę proponitur inductio, vero conſonet. Videamus quæ in primo ac principaliore prędicamento, Subſtantię nimirum, habeat Ariſt. ſic profectò eiuſdem prędicamenti caput exorditur; Subſtantia, quę propriè principaliter, & maxime dicitur, quæ neque de ſubiecto dicitur, neque in ſubiecto eſt, &c. Quęrēdum hic eſt, num ſub huiuſmodi ſermonis ſerie, ſubſtantia quatenus reale ens eſt, ad Metaphy. attinens, conſiderata deſcribatur, uel vt logicam ſapit contemplationem. Omittantur nunc perſcrutationes illæ, an ſub talibus uerbis aliquod commune deſcriptum ſit, an ſingulare, quoniam propoſito non deſeruiunt. Videtur enim, quòd cōſiderare aliquid ſub ratione qua uel de ſubiecto dicatur, uel eidem inhæreat, eſt inquirere operationem, quam circa illud tale Intellectus exercet. Intellectusenim ope ad huiuſmodi ducimur cognitionem; ipſe enim eſt, qui tales proprietates entibus attribuit. Realia profectò entia, quatenus realia ſunt, ac ut realia conſiderantur, nec de ſubiecto prędicantur, nec in ſubiecto exiſtunt; vt autem intentioni ſubijciuntur, talia ſortiuntur attributa. Quòd quidem hoc ueritas ipſa doceat, Porphyrij ad Prędicamenta introductio demonſtrat; agit ille

de

de quinq; uocibus,Genere nempe,Specie,Differen tia,&c. quarum nullam realiter conſiderari, ſanæ quis mentis audebit aſſerere: nihilominus, ut habent de ſubiectis prædicari, uel ineſſe, eædem tractantur: clarè ſciens doctiſſimus ille author, quomodo tractationis modus, tractatæ rei reſpondere deberet,ita proſecutus eſt intentionem ſuam. At ſi fortè diceret aliquis, exempla ab Ariſt. adducta, ipſum de ſubſtantia,ut ens reale eſt,loqui inſinuare,cùm exemplificet de aliquo homine, & de aliquo equo. Nos reſpondebimus, negari non poſſe, quin primis intentionibus innitantur ſecundę, logicumq́ue negocium de ſecundis intetionibus eſſe, ut à primis ortum ducunt: uerum logici formalis ratio non eſt realis conſideratio. Definitam ergo ſubſtantiam in libro Prędicamentorum eſſe concludimus, quæ rem ipſam naturæ concernit:at definitio aſsignata eſt per ea quę ſecundæ ſubijciuntur intentioni, quorum ipſe eſt intellectus opifex. *Definitio ſubſtã tiæ qualis.*

Subiungit Ariſt. Secundæ autem ſubſtantiæ dicuntur Species,in quibus eæ quæ principaliter ſub ſtantiæ dicũtur, inſunt; & harum ſpecierum Genera,etc. Qua (quæſo) uiolentia ex his uerbis colligi poterit Subſtantiam hic,ut ens reale eſt, conſiderari?& quiſnam inter entia, ſecundas uidit ſubſtantias?oculis Species eſt intuitus? aut Genera manibus tetigit? At ſi ueritati innixi, omni prorſus odio ac amore ſemoto, rem ipſam ſpeculabimur, ac Ariſt.perſcrutabimur ſenſus,uerbaq́; Peripateticè ſatis diligentisſimèque loquutum de ſubiecto libri Prædicamentorum fuiſſe Ammonium fatebimur. Cõcludit nanque ipſe eo opere Ariſt.fuiſſe intentionem,de ſimplicibus uocibus tractare, ſimplices res ſimplicibus conceptibus medijs ſignificantibus. Videamus certè iam adductum Ariſt. textũ, *Intentio lib Prædicamẽt. ex Amm. & Græcis, ſed clarius ex Simpl. com. 5.*

ubi

ubi apparebit eundem de ſimplicibus agere uocibus,ut puta primis,ſecundiſque ſubſtantijs, res ſimplices ſignificãtibus, nimirum quemdã hominem, hominem,animal:per medios ſimplices cõceptus; nempe ſpeciem,genus,dici de ſub iecto, non eſſe in ſubiecto &c.

Adhuc ſubdit Ariſt.Eorum quæ de ſubiecto dicuntur,neceſſe eſt, & nomen & rationem de ſubiecto prædicari:ut homo,de ſubiecto quodam homine dicitur,prædicatur etiam & nomen, etc. Ex his patet ſubſtantiam ſecundam conſiderari quoque ſecundùm proprium prædicationis modum, qui & ſecundùm nomen,& ſecundùm rationem eſt. At talis conſideratio rationali competit artifici, nempe Logico:intentionisq; opus eſt diſcernere,num talis uox prædicetur,uel non:& rurſus, num talis prędicatio nominalis ſit duntaxat, uel rationalis quoque;neque munus hoc,ſi propriè loqui uelimus,ad Metaphyſicum pertinet. Hinc concludens Ariſt. receptam illam propoſitionem, quòd non exiſtentibus primis ſubſtantijs, impoſſibile eſt aliquid aliorum eſſe.reddit cauſam:quia omnia alia aut de primis ſubſtantijs prædicantur, aut eiſdem inſunt. Vnde conſtat omnia in libro Prædicamentorum, conſiderari ſub ratione predicationis, & inhęſionis,uel certè plura;quem conſiderandi modum nemo Metaphyſico proprium aſſignabit.

Simplicius ĩ fine com. 15. præſenti ſubſt. oſtendit quõ tractare de primis, & ſecun

Poſt hęc definit Ariſt.quòd ſecundarum ſubſtantiarum magis ſubſtantia eſt ſpecies, quàm genus. Hoc nobis clarè inſinuat uoces hìc iam conſiderari,quatenus quibuſdam conceptibus ſignificãt res, & non ſub entium reali formaliq; ratione. agitur nanq; de homine,& animali,ut ille ſpeciei, hoc generis uoce comprehenditur; quæ tractatio ad Logicum attinere conſpicuum eſt. Et huius cauſam reddens Ariſt.ait,ſi quis enim aſſignet primam ſub

ſtan-

ſtantiam quid eſt, conuenientius aſſignabit ſpeciẽ, quàm Genus asſignans,&c. Ecce qualiter intentiones, conceptusq; tractantur entia ſignificantes, nõ entia ipſa, quatenus entia ſunt. Amplius probare uolens, cur primę ſubſtantię maximè ſubſtãtię, dicuntur; hoc ideo eſſe inquit, quia alijs omnibus ſubijciuntur, & omnia alia uel de ipſis prædicãtur, uel in ipſis ſunt. Quis ergo dubitat, ea attributa ſubſtantiæ, potisſimùm primæ, quæ maximè ad realitatem accedit, hic tractari, quę Intellectus fabrefacit, & prædicationem ſeu ſubiectionem importãt? & ſecundas ſubſtantias pariter, ſub ſpeciei & generis uoce tractat, quaſi ſemper ſubdens, ſubijcitur ſpecies generi, genera enim de Speciebus prædicantur. ſpecies autem cum generibus non conuertuntur. quare (ait) ex his ſpecies genere magis ſubſtantia eſt. Hęc percurrant (oro) doctisſimi hi uiri qui Balduinum nimium inſectantur, tum, his bene perpenſis, in antiquiores Peripateticos, ac doctores omni ſanè obſeruatione digniſſimos inuehantur; quod, ſi placet, & modeſtè faciant, illis ubi rationes hæ noſtræ non arriſerint.

dis ſubſtit. munus eſt logici.

Magnis uiris nõ temerè maledicendum.

Pręterea, nec hos ſecundę intentionis terminos deſerens Ariſt. poſtquam concluſit, ex ſecundis ſubſtantijs ſpecies eſſe generibus magis ſubſtãtias; quærens num inter ipſas ſpecies, alia ſit alia magis ſubſtantia, reſpondet; Ipſarum uerò ſpecierum quæcunque non ſunt genera, nihil magis alterum altero ſubſtantia eſt. Et paulò inferiùs ita concludit; Meritò autem poſt primas ſubſtãtias, ſola aliorum omnium ſpecies, & genera ſecundæ ſubſtantiæ dicuntur. ſola enim hæc eorum quæ prędicantur, primam ſubſtantiam indicant, etc. Ex quibus, ac quamplurimis ſubſequentibus uerbis, ſemper ad ſecundarum intentionum terminos, uocesque directus Ariſtotelicus ſermo comprehenditur.

Sed

Sed, ſi ad eas conditiones (communitates paſſim nuncupatas) quas ſubſtantię competere docet Ariſt. animum uertamus; argumenta certè, quę hāc noſtram infringant opinionem, nequaquam oſtendemus. In prima quidem ſubſtantię communitate aſſerit Ariſt. commune omni ſubſtantiæ eſſe, in ſubiecto non eſſe. quod ibidem declarans dicit, primæ ſubſtantię, non ſolùm competere non eſſe in ſubiecto, ſed etiam non dici de ſubiecto; ſecundæ autem ſubſtantiæ licèt eadem competat communitas, ipſa tamen de ſubiecto dicitur. Conſiderat igitur Ariſt. in hac parte ſubſtantias ut habent dici de ſubiecto, uel non eſſe in ſubiecto, tales autem conſiderationes (ni fallimur) ſubſtantijs, ut realia entia ſunt, minimè congruunt, ſed ut intentionibus ac conceptibus quibuſdam conueſriuntur, ut ſuperiùs demonſtratum eſt: ly Eſſe in, & Dici de, ſecundarum intentionum, ſeu entium rationis terminis deſeruire. Pariter etiam in hoc loco replicat Ariſt. quomodo ſubſtantiæ prędicentur ſecundùm nomen, & quomodo ſecundùm rationem; qui loquendi modus, quòd realibus entibus nō attribuatur, ſuperiùs quoque retulimus.

Prima ſubſt. cōmunitas qualis.

Secundam ſubſtantiarum communitatem afferens Ariſt. ait Ineſt autem ſubſtantijs & differentijs omnia uniuocè prędicari. Huius concluſionis uolens probationem adducere, ſubiungit; Omnia quæ ab his prędicata ſumuntur, aut de indiuiduis prædicantur, aut de ſpeciebus. Et inferiùs; Secūdarum ſubſtantiarum ſpecies quidem, de indiuiduo prędicatur; genus uerò & de ſpecie, & de indiuiduo. Pluraque alia huc tendentia ſubdit de generibus, & ſpeciebus, quæ hìc adducere ſuperfluum exiſtimamus; qui uniuerſus diſcurſus, rebus non niſi vt à cōceptibus importatis, attribui poteſt, nullo autem modo quatenus reales ſunt. Declarans poſtea

Secunda ſubſt. cōmu.

Ariſt.

Ariſt.quid per Vniuocè prędicari,intellexerit:uniuocam prædicationem eſſe inquit illam, in qua nomen commune eſt,ratioq; eadem. Hæc omnia logicali innituntur tractatui, quę ſi ceruicoſi metaphyſicalia eſſe contendent,hi etiam Porphyrij introductionem de quinque vocibus logicos limites non tangere, ſed metaphyſicos non minus obijcient; quo quid poſsit abſurdius excogitari, neſcimus.

Tertia, quam ſubſtantijs attribuit Ariſt. communitas,quòd Balduino faueat, mirum in modum primo apparet intuitu.unde quum hac de re colloquētes diſſereremus,Dominus Ioānes Baptiſta Pariſius noſter in ſtudio Neapolitano commilito,ſodalisque familiarisſimus, nunc doctor Excellens ac non immeritò Mothucę charus; eandem communitatem opinioni noſtrę ſatis aduerſari contendebat.Ita nanque habet Ariſt. Omnis autem ſubſtantia videtur hoc aliquid ſignificare. De ſubſtantia enim tractare,ut hoc aliquid ſignificat, eſt eandem conſiderare,ut reale ens eſt, & non rationis: quapropter Metaphyſico propria huiuſmodi erit ſpeculatio,& nullo modo Dialectico. Magnā enim ad ſic ſubſtentandum vim habet ly Hoc aliquid. Verùm en imuero dicimus nos,hunc Ariſt. loquendi modum, poſitionem noſtram validè tueri,tantum abeſt quòd diruat. Nos nanq; non dicimus, quemadmodum nec antiquiores doctores,quos reprehendit omnes Balduinus,& quorum nos expoſitores duntaxat ſumus,quòd in libro Prædicamētorum,ſicut neque in vniuerſo logico negocio agatur de ſecundis intentionibus abſolutè: talis quandoquidem tractatio imaginaria eſſet, ne dicam chimerica: ſed de eiſdem agitur,ut primis intentionibus adiunguntur,atque in illis fundātur. Sic igitur cuùm dicit Ariſt. ſubſtantiam hoc aliquid ſignificare *Tertia.*

re, non innuit per ſubſtantiam reale quoddam, ſed eiuſdem ſubſtantię conceptum, per talem uocē importatum, a re naturæ ipſa extra animam exi-ſtente deſumptū. Vnde diſertiſſimus Ammonius inquirit, cur Ariſt. aſſeruit ſubſtantiam ſignificare hoc aliquid, & nō eſſe hoc aliquid. ſubſtātia enim res cùm ſit, ſignificatur duntaxat, nō quidem ſignificat. Sed reſpondet, quòd interdum illud quod uoci competit, de re prędicatur; & è cōuerſo, id quod rei eſt, de uoce dicitur, ob mutuum quem habent complexum, ut exemplo declarat; quòd aliquando uox Socratis de re Socratis, nonnunquam etiam res Socratis de eiuſdem uoce prędicatur. Ita(inquit) in hac ſubſtantię communitate Ariſt. propter uocis implicationem, ſubiectum, prædicationis uocem accepit, quod eſt ſignificare. uerba ſunt Ammon. aureo ſcribenda calamo. qui fortaſſe hęc dixit, uidens difficultatem, quam ex his Ariſt. verbis quod libri Prędicamentorum propoſuerat ipſe inſtitutum, pati poſſet, intentionem Ariſt. eſſe de vocibus, rebus, ac conceptibus explicare, (quod quidem non intelligant ſtudioſi, ut iacet, ac ſi ſeiunctim de illis ageret, ſed, ut ſuperius ex eodem Ammo. retulimus, nempe de uocibus, quæ res, per medios conceptus ſignificant). Concludit tandem idē Ammo. inquiens ſubſtantiā quatenus res eſt ſignificari, & nō ſignificare quatenus uerò uox, ſignificare, at minimè ſignificari. Ob hoc igitur ſupiùs diximus, verba Ariſt. in hac tertia ſubſtātiæ ꝓprietate, magis huic noſtrę poſitioni ſuffragari, quàm reluctari: e x eo enim quod dixit ſubſtantiā ſignificare, per ſubſtantiam, naturæ rem nō intellexit, quippe quæ propriè ſignificatur; ſed ipſam vocem, cui ſignificari non congruit, & per conſequens in libro Prędicamētorum de vocibus entibuſque rationis, nō realibus tractari inſinuauit, ut expoſitorum ferę

Ammo. pōderatio.

Ammon. exponitur.

om-

omnium fuit ſententia. Vnde ſi quis curioſiùs eam textus breuem ſeriem trutinabit, uerbum illud, Significare, ſepties repetitum inueniet; nec expoſitio ni huic noſtrę, quæ concluſionem communitatis huius ſubſequuntur uerba, contemnendam præſtant fidem, eam, quoniam, diſcutit Ariſt. & quomodo ſecundis ſubſtantijs competere poſſit edocet, & quonam pacto circa ſubſtantiam, Genus & Species ſe habeat: at quòd ſubſtantia ſecunda detur, intellectus duntaxat efficit operatio; ut interim idem de genere & ſpecie dici debere, ceu clariſſimum omittamus; & ſic demũ, nullũ ex hac cõmunitate argumentũ, qui Balduinũ inſectãtur auſpicari poterunt.

Nec item ex quarta quæ ſequitur, ob eandem rationem. Docet enim ibi, quomodo ſubſtantijs nihil eſſe contrarium, de primis, deq; ſecundis uerificetur, ſubſtantias enim (ut dictum eſt) quatenus primę ſecundęque ſunt conſiderare, eſt eaſdẽ, ut circa illas intellectus operatio uerſatur, ſpeculari. Idem de reliquis ſubſtantię communitatibus ſeu proprietatibus ſentiendum eſſe putamus; & nõ de illis dũtaxat, ſed etiam de aliorum prædicamẽ torum conſiderationibus, communitatibus, proprietatibusq; in quibus uniuerſam tractationem, propriis, de quibus agitur, prædicamentis, ut ad rationalem facultatem diriguntur, competere, qui abſque liuore rem uelint intueri, non minus facilè quàm clarè prorſus dignoſcent. Nolumus enim hoc loco omnia percurrere, quæ paſſim in illis huic propoſito facientia reperiuntur: ſic enimuero librum Prædicamentorum potius exponere videremur, quàm ſcopum iam à nobis propoſitum exequi; ſatis fuiſſe exiſtimantes, quę huc uſque ex digniore prędicamento deprompta congeſſimus, ad obtundẽdam (ſi Deo placet) illorum audaciam, qui omni humano modeſtoque diſſerendi modo pe-

Quarta.

tibus competentibus. Sed ſic eſt, quòd ſingulis prędicamentis quædam proprietates ſeu communitates aſſignantur, quæ intentionales ſunt, atque intellectus opere fabrefactæ, & hoc in libro proprio Prædicamentorum; Ergo eadem prædicamenta quatenus entia rationis ſunt, & non realia, in eodē libro conſiderantur. Patet, quod ſubſumitur; quoniam Intellectus cognoſcens aliquod prędicatum, ſeu conditionem, taliter uni enti congruere, quòd non alij, uel non pluribus; eandem conditionem concludit illi tali competere, ut quandam proprietatem ſeu communitatem ſonat: quæ quidem proprietas ac communitas ſecundæ intentionis terminus dicitur. Auerroes enim 12. Metaph. 4. ait, quòd uniuerſalia apud Ariſ. ſunt collecta ex particularib. in intellectu, qui accipit inter ea cōſimilitudinē, & facit ea unā intentionē. Et 7. Phyſ. 20. aſſerit idem Auerr. cùm particularia conſideramus, fit ex hoc cognitio uniuerſalis in nobis. Et rurſus in primo de anima com. 8. & alibi pluries habet, quòd intellectus eſt qui facit uniuerſalitatem in rebus. Sic igitur conſiderans intellectus, quoniam æquale uel inæquale dici, cuicunque quantitatis ſpeciei conuenit; hoc prædicamenti Quantitatis quandam eſſe conditionem determinat, quam ſecundæ intentionis termino ſeu uoce Proprietatem uocat, eandemque Quantitati ut uoci uniuerſaliſſimæ, ſub ſe plures ſpecificos, genericoſque conceptus continenti, realiáque entia ſignificātes, tribuit. Similiter etiam, quia poſito uno relatiuorum, ponitur & reliquum, unoque perempto, perimit et reliquum; huic uoci Ad aliquid, ea quę ad inuicem referuntur importanti, pro proprietate Intellectus aſſignauit, ad conuertentiam dici. Idem pariter concedendum eſt de contrarietate in prædicamento Qualitatis; deq; alijs omnibus proprietatibus, ac communitatibus

Communitatum q̃no intellectus ſit opifex.

T tibus

tibus, tum horum, tum etiam cæterorum prædica mentorū: quas ſingulas hic recenſere, inutile prorſus exiſtimamus & uanum, quæ quidem proprietates ac communitates, quum entia ſecundæ intentionis ſint, uocibus res ſignificātibus ſeu ſecundis intentionibus, innixis primis competunt. & entia illa à talibus uocibus ſignificata, quatenus tales proprietates ſeu communitates reſpiciunt, illisq; ſubijciuntur, licèt realia ſint, realiter tamen non conſiderantur; ſed ſecundas intentiones induta, tales conditiones ſuſcipiunt. Non enim Prædicamentis eo modo proprietates illæ inhærent, quo homini riſibilitas, & equo hinnibilitas, ut conſtat, quum illarum Intellectus duntaxat, ſenſibus interea non opitulantibus, opifex exiſtat. cùm igitur communitates prędicamentorum illæ rationis entia ſint; & per conſequēs attributa quædam uniuerſalia; quoniam, ut docet Ariſt. primo Phyſ. t.c. 49. uniuerſale, ſecundùm rationem notum eſt; ſingulare autem, ſecundùm ſenſum; & ratio eſt uniuerſalis, ſenſus autem particularis; ſequitur quòd uniuerſalibus competant ſubiectis, uniuerſaliterq́ue conſideratis; quę uerò uniuerſalia ſunt, ut aſſerit Auerr. 3. de Anima com. 18. contra Platonem, & 12. Metaphy. com. 27. nullum habent eſſe extra animam; & conſequenter nec realia dici debent; & ſic decipitur Balduinus, dum doctiſſimos uiros antiquioresq́ue expoſitores deceptos fuiſſe arbitratur, aſſerens librum Prædicamentorum eſſe metaphyſ. immo huic noſtro diſcurſui fauens Magnus Magiſter in primo de Anima, tex. 8. ita docet. Animal uniuerſale, aut nihil eſt, aut poſterius; ſimiliter autem etſi aliquod, commune aliud prędicetur. Hæc uniuerſalium poſterioritas monſtrat eadem entia rationis eſſe, ut cuique in Peripatetica doctrina erudito clarisſimè conſtat; ex hoc nanque, quòd ſin-

Entibus qūo communitates accidant.

ſingularibus poſteriora ſunt uniuerſalia, ab intellectu eadem conſtructa eſſe innuitur; quia primitùs Intellectus ſimplicia, ac ſingularia cõprehẽdit; tũ ex horũ comprehenſorũ cõpoſitione & diuiſione iã habita, ratiocinio ac diſcurſu, huiuſcemodi uniuerſalia, cõmunitates, proprietates, genera, ſpeciesq; atque id genus reliqua componit. quemadmodum Angelicus Doctor pręcipuus Ariſt. Expoſitor, Diuus THOMAS docet. Id ipſum Ariſt. in primo de Anima placitum quaſi declarans, Auerr. primo Poſter. tex. com. mag. 162. autumat, uniuerſale aut eſſe non ens, aut eſſe quid poſterius ſingulari in eſſen- »
do. Idemque Auerr. in primo Metaphy. com. 17. in- »
quit, uniuerſale nõ habet eſſe, niſi ſecundùm quod eſt ſcientia, id eſt, ſecundùm quòd eſt in anima. Et »
ſubdit, propoſitum noſtrum maximè comprobãs; »
Et ſimiliter affirmatiuũ & negatiuum. Ex his enim »
poſtremis uerbis confirmare licet, quę affatim de communitatibus Prędicamentorum hucuſque aſſeruimus; quum nanq; illæ, ſiue affirmatiuę, ſiue negatiuę, conditionem aliquam, ſiue attributionem in Prædicamentis admittant, ſequitur, eiſdem tales attribui non poſſe, niſi ſecundùm quod ſunt in anima. At ut ſic uniuerſalia quędam ſunt, eademq; ſingularibus poſteriora; & ſucceſſiuè rationis entia cuiuſmodi eſſe aduerſus hos Neotericos demonſtrare nitimur, qui entia realia in libro Prædicamentorum tractari contendunt, quod demonſtratiuis rationibus perficere imaginantur. ſecus autem ſeſe ueritas (ut arbitramur) habet.

Vlteriùs, uolens iſte Doctor prope finem ſecundę huius rationis confirmare, quòd in libro Prædicamentorum definiuntur Prędicamenta, quatenus realia entia ſunt; aſſerit Ariſto. eodem modo definire decem Prædicamenta in quinto Metaph. ſicut & in libro Prędicamentorum. at ibi definiun-

tur ut entia & res;ergo (inquit) ſimiliter in libro Prædicamentorum.

Principis placiti authoritatem iſthæc ſapit confirmatio, non minus quàm ipſa tota argumẽtatio. Vult nimirum, quòd abſque aliquo probationis medio,legis habeat uigorem;ac ſi uoluntas prò ratione ſufficeret. At non hoc eſt demonſtratoris officium,quem ipſe hic & ubique referre ſibi perſuadet. Vobis enim uidetur, quòd non modò non ſit idem in libro Prædicamentorum & in quinto Metaphy. ſeruatus tractationis modus,ſed etiam longè uarius; quod æquo animo librum illum perlegenti clariſſimè fiet obuium. Nos tamen id ea potiſſimùm ratione oſtendere conabimur, qua paulò ſuperiùs propoſitum noſtrum confirmauimus. Vt librum Prędicamentorum eſſe logicum, & in quinto Metaphy. diuerſam eorundem eſſe tractationẽ, ab ea quę proprio in logica dicato libro habita eſt, unica perſuadeat argumentatio. Diximus, aſſignationem illam proprietatum & communitatũ, quæ in libro Prędicamentorum expoſita fuit, clarum extitiſſe indicium logicalis perſcrutationis eorundem. At nunc aſſerimus, in quinto Metaphy. ubi de prædicamentis, quatenus entia ſunt realia, agit Ariſt. huiuſmodi prædicamentorum proprietates,& communitates fuiſſe prętermiſſas, ac ſi nos Magnus Magiſter monere ſtatuiſſet, quòd realibus entibus, realiterque conſideratis, illam tractationẽ nullo iure poſſet competere; quum eadem entibus quæ Intellectus operationem redolent, aſſignari debeat. Etſi iſthæc non fuiſſet occaſio, quare agens de prædicamentis Ariſt. in lib. Metaphy. proprias communeſque ipſorum conditiones omiſiſſet intactas, non igitur, ut Balduinus uir certè acuti ingenij imaginatur, eadem tractationis prędicamentorũ methodus in Metaph. & in Logica ſeruata eſt.

Variè ī lib. prædicamentorum, et in 5. Metaphy. de præſentis agitur.

Prȩterea, ſi rei ueritatem intimiùs perſcrutari ue limus, eſto quòd nõadducta ratione Prædicaméto rũ cõmunitates in 5. Metaph. neglectæ ſint, nonne alia diuerſaque tractandi ratio ibi obſeruatur ab ea libri Prȩdicamentorum? In eo enim libro Prædicam. (ultra quòd quȩdam primò proponuntur, quæ Antepredicamenta appellantur, merȩ logicalis conſiderationis; cuiuſmodi ſunt Aequiuoca, Vniuoca, Denominatiua, ea quæ dicuntur cum cõplexione, ea quȩ ſine illa, regulȩ eorum quȩ prædicantur generum & ſpecierum, ſiue in proprijs ſiue in diuerſis coordinationibus, & huius farinæ alia) aggreditur Ariſt. ſermonem de ſubſtantia ab eius diuiſione in primam & ſecundam: unde nos intulimus ſubſtantiam ut ens rationis eſt, declarari. At in quinto Metaphy. caput de Subſtantia his exorditur uerbis; Subſtantia dicitur & ſimplicia corpora, ut terra, & ignis, & aqua, & quecunque talia, & uniuerſaliter corpora ex his conſiſtentia, & animalia, & dȩmonia, & partes omnium horum &c. Perpendant lectores uel ex hoc duplici ad ſubſtantiæ perſcrùtationes Ariſt. ingreſſu, quàm uaria, & quàm diuerſa ſint diſputationis monumenta; qui duntaxat hìc adductus, ad inſtituti noſtri ualidam corroborationem ſufficiat: nolumus enim huic quæſtiunculȩ quintum Metaphy librum inſerere; capita quidem rei tetigiſſe ſat ſit, unde illi quibus hæc noſtra non diſplicet opinio, paucis contenti euadent; qui uerò aliter ſentiunt, quando ex ijs quæ à nobis prætermiſſa ſunt, oppoſitum conſtruent, ſuſcepta uenia, ut cuncta diligentiùs, ac diffuſiùs rimari debeamus, præſtabitur amplior occaſio. Nunc uerò, ut alias Domini Balduini diluendas obiectiones properemus, tempeſtiuum eſſe cognoſcimus.

Tertia Balduini ratio.

ARGVIT ulterius ſolers iſte Doctor(ut aſſerit)demonſtratiuè, ſic;Quælibet accidentia quę demonſtrantur,debent conuenire per ſe, propriè, & inquantum ipſum, ipſi ſubiecto de quo demonſtrantur ; ſed proprietates ſeu accidentia, quæ de Prædicamentis demonſtrantur, quòd eis inſunt, non aliter eis conuenire poſſunt, niſi quatenus ſunt entia & res;ergo ſubiecta, ideſt, ipſa Prædicamenta, quatenus entia, conſiderantur in lib. Prędicamentorum . & ſic eſt Metaphyſicus, & non Logicus. Maior eſt Ariſt. primo Poſt. & Auer. Minorē ꝓbat diſcurrendo per ſingulas Prędicamētorum proprietates. Nam ſubſtantiam non ſuſcipere contraria,non conuenit talis proprietas ipſi ſubſtantię, ut conceptus uelut uox eſt, ſed ut eſt uerè ſubſtantia;& ſimiliter de proprietate quantitatis, quòd ſecundùm eam ęquales uel inæquales dicamur, &c.

Reſponſio.

PER ea, quę ad prçcedētem rationem diximus, huic abundè ſatisfieri poſſe nemo non noſcit. Ibi enim declarauimus, quomodo Prædicamentis, ut ſecundarum intentionum uoces ſunt, proprietates illæ competunt, nec eadem hìc repetere decet: quia nolumus inutiliter multa ſcribentes iudicari, quum prçſertim nec iſte Doctor ratione perſuadeat, uel doceat, quomodo propietates Prædicamentorum,eiſdem ut res ſunt, & non uoces, congruāt.Sed proprio(ut ſæpe ſolet)contentatur placi

to, quod tamen cunctis poſteris num arridere debeat, poterat in dubium reuocari.

Sed ne ſicco tranſeamus pede, ſecundò huic obiectioni reſpondeamus formaliter (tacentes quę de forma argumentationis dici poſſent, quam curioſi contemplentur;) quòd quãdo proponitur, Quęlibet accidentia quæ demonſtrantur, debent ſubiecto per ſe, propriè, & in quantum ipſum, conuenire; dicimus quòd ſi hæc maior intelligit de accidentibus quę per ueram demonſtrationem, quã in primo *Poſt.* docuit Ariſt. ſubiecto ineſſe demonſtrantur, uera eſt; licèt talia, accidentia appellari non debeant, quum proprię paſſiones ſint, quæ ſubiectis ineſſe per demonſtrationem, cuius ipſa definitio medij uices gerit, concluduntur: & non accidentia. Quòd autem impropriè paſſiones proprię accidẽtia nuncupentur, uel ex hoc patere põt, quòd diuerſa utriſque *Porphyrius* aſſignauit capita: attamen eadem propoſitio non habebit intendum de *Prędicamentis*; quandoquidem accidentia, quę in libro *Prędicamentorum* inquiruntur, quæ communitates ac proprietates ſunt, eiſdem *Prędicamentis* inſunt non per ueram demonſtrationem; cùm omnibus demonſtrationem inſequentibus cõditionibus, quemadmodum ſubiectis, propriæ paſſiones inhærent; ſed ut ipſe ex uoce accidentis, innuit, accidentaliter, ac communiter: ſingulæ enim illæ communitates taliter inſunt proprijs ſubiectis propeq; omnes, quòd & alijs competunt; & non quibuſcunque ſub talibus ſubiectis contentis. quare uix unam uel alteram reperire licet, quę omnes uerę proprietatis, ac quarto modo dictę conditiones ſortiatur; immo nec hæc ipſa ſubſtantiæ proprietas, quam inter omnes ſelectam in hac tertia ratione attulit bonus iſte Doctor, uera propietatis dignitate potitur; quoniam, non ſuſcipere con-

Quid per demonſtrationem concludatur

Quales prædicamentorum proprietates

traria, non eſt uera ſubſtantię proprietas, ipſo etiã Ariſtotele teſte, dum ibi ſubdit: Non eſt autem hoc ſubſtantię proprium, ſed etiam multorum aliorum.

Sed ſi aliquis pro Balduino dicet, nõ hanc proprietatem pro exemplo ab eo fuiſſe asſignatam, ſed eam potiùs, quam ultima ſede collocauit Ariſ. nimirum, quòd ſubſtantia contrariorum ſuſceptibilis ſit; quam maximè propriam nuncupauit Ariſ. & quòd chalcographi incuria addita fuerit negatiua illa particula. Condonemus, ut petit; ſed nec talis proprietas calumniam effugiet. Volunt nanq; doctiores interpretes, cuiuſmodi ſunt Dexippus, Ammonius, Simplicius, & alij, quòd licèt talis proprietas ſoli competat ſubſtantiæ, non tamen omni; quia non ſecundis ſubſtantijs, & propterea Ariſtot. uolentes ab iniuria uindicare, qui dixerat, illam eſſe maximè propriam. Alij dicunt, quòd prima ſubſtantias intellexit duntaxat. Alij aſſerunt, quòd ob hoc poſuit Ariſt. in principio huius proprietatis uerbum illud dubitatiuum, Videtur. Nos autem dicimus Magnum Magiſtrum ut in cũctis, ita hoc in loco fuiſse oculatſſimum. Hęc enim uerba ſua ſunt; Maximè uerò proprium ſubſtantię eſſe uidetur, quòd cùm unum & idem numero ſit, contrariorum ſuſceptiuum eſſe, &c. Ac ſi tantùm primam ſubſtantiam ſignificare uoluiſſet, quæ uerè vna numero exiſtit. Parcat in hac parte Reuerendiſſimi Caietani grandis authoritas, aliter textum illum interpretantis, eandemq́ue proprietatem omni ſubſtantiæ attribuentis.

Textus Balduini emaculatus.

Obiectionis ĩ Ariſtotel. ſolutio.

Caietan.

Sed latius quàm par fuiſſet digreſſi ſumus. Quare ad inſtitutum reuerſi dicamus, quòd ſi quando in maiore illa propoſitione dicitur, quòd quælibet accidentia quę demonſtrantur, conueniunt per ſe, propriè, & ſecundùm quòd ipſum ſubiecto,

non intelligitur uera demonſtratio: tunc pace huius acutiſſimi Doctoris, eam ut falſitate falſiorem refellimus: quandoquidem non omnia accidentia ſubiectis competunt cum illis conditionibus poſterioriſticis propriè, per ſe, &c vt lippis & tonſoribus (ceu idem Balduinus iocatur interdum) notum eſt, vt nulla prorſus indigeat probatione; ſi autem vera, falſa adhuc eſt; quia prædicamentis proprietates non demonſtratiuè inhærent, vt diximus.

Poſſemus & tertiò eidem rationi reſpondere, negando Minorem. Non enim verum eſt, quòd proprietates ſeu accidentia quę de prædicamentis demonſtrantur, eis conueniunt quatenus entia realia ſunt; quinimmo dicimus eiſdem vt cōceptibus, realia entia ſignificantibus, competere. Ad probationem, quando diſcurrit per duas illas prædicamentorum communitates, ſeu proprietates; dicimus, quòd cùm omnes illæ non duę ſolùm, exercitio, operationeque Intellectus, conformitates, difformitates, ſimilitudines, diſſimilitudines, prædicationes, oppoſitiones, intenſiones, remiſſiones, inheſiones, ſignificationes, ſuſceptibilitates, ęqualitates, inæqualitates, conuertentias, ſimuleitates (ut ita dicamus) ac tādem huius claſſis reliqua omnia attributa, conditionesque, cognoſcentis fiant, atque componantur, entia rationis nuncupandæ veniunt, & per conſequens prędicamentis, adhuc vt entia rationis conſideratis inhærent, vt ſatis in ſuperioribus enucleatum eſt. *Omnia prædicamentis, ut ſunt entia rationis attribui.*

Quarta Balduini argumentatio.

INSVPER & demonſtratiuè adhuc (vt ſibi iſte Doctor perſuadet, uel potius Reuerendus ille Magiſter Gometius tranſcriptor) ſic arguit. Quic-

Quicquid conſideratur in arte, uel ſcientia, quatuor modis eſt, uel ut ſubiectum, vel ut partes, uel ut principia, vel vt paſſiones: Sed decē *Prędicamē*ta nullo iſtorum quatuor modorum conſiderantur in Logica; ergo liber Prædicamentorum non eſt pars Logicę, ſed Metaphy. Maior ab Ariſt. ſumitur primo *Poſt.* tex. 179. Minor probatur inductiuè, &c.

Impugnatio.

Prædicamenta ut ſubiecti logicæ partes conſiderari.

RATIONIS huius minorem negantes, dicimus decem *Prędicamenta* in Logica conſiderari quarto modo à Balduino aſſignato in minoris probatione, nempe ut partes ſimplices ſeu principia ſubiecti logicę. Hanc reſponſionem infringit Balduinus hoc medio, quòd nomina tantùm & verba partes ſunt, ad quas vltimò enunciatio reſoluitur, & non decem prædicamenta; ergo, inquit, ſequitur id quod prius. Sed hæc impugnatio nullo fulcitur munimine; deberet enim rationem adducere, qua nomen & uerbum, ea ſint ad quæ enunciatio reſoluitur, & non ad *Prædicamen*ta. Attamen nos reſpondemus, quòd licèt nomen & verbum ipſam ingrediantur enunciationem, quia tamen ipſa ulteriorum ſuſcipiunt reſolutionem, nimirum ad *Prędicamenta*, ſimpliciora principia eadem erunt prædicamenta nominibus ac uerbis, & per conſequens enunciationis partes dicentur. Sint enim quæuis nomina uel verba enunciationem ingredientia, effugere non poterunt, quin illa ſub *Prædicamentorum* aliquo non reducantur, atque ab eodem contineantur, & ſic tandē partes ſubiecti Logices, *Prædicamentorum* liber comprehendit; quapropter in ea facultate colloca

ri

ri eorundem tractatio debet, vt ipſi neceſſarius.

RESPONSIONEM iſtam tanquam falsã, D. Balduinus confutat; & primò hoc modo; Ens per accidens non conſideratur ab arte; ſed ipſa decem prædicamenta in logica ſunt partes enunciationis p accidens; ergo eadẽ non ſunt neceſſariò in logica conſideranda. Maiorem ex multis Ariſt. locis elicit. Minorem probat; quia per Ariſtot. primo Poſt. t. c. 3 1. illa ſunt per ſe, quæ per definitionem ſunt talia; quę uerò non huiuſmodi, per accidens ſunt, ſed nomen & verbum ponuntur in definitione enunciationis, & non decem prædicamenta; ergo illa ſunt per ſe enũciationis partes, hæc autem per accidens.

Secundò confutat ſic, Illud eſt per accidsẽ tale, quod eſt per aliud. Patet hoc per Ariſt. tum primo Poſt. tum etiam 5. Phyſ. Sed decem prædicamenta ſunt partes enunciationis, quatenus ſunt nomina, & non ut prædicamenta, ergo ſunt enuntiationis partes per accidens. & ſic non tanquam neceſſariæ partes ac per ſe in logica conſiderantur. Et hanc rationem demonſtratiuam contra omnes logicos eſſe aſſerit.

Tertiò ad idem hoc pacto, Ariſt. in principio libri Periherme. dicit; Primùm oportet conſtituere quid nomen, & quid verbum, tanquam de per ſe partibus orationis enunciatiuæ, ergo Prędicamenta partes per ſe nõ ſunt orationis, ſed per accidẽs. At ſi per accidens, ergo prædicamenta non ſunt in logica neceſſariæ partes, & ſic prędicamentorum liber non eſt logicus.

Quartò, idẽ, Pater Gometius paganus Franciſcanus Theologus confirmat ſic, Accidens eſt quod adeſt & abeſt præter ſubiecti corruptionem, ſed enunciatio abſque prædicamentis eſſe poteſt, ergo ipſa prædicamenta ſunt partes enunciationis per accidens.

accidens. Minor probatur: quoniam Prędicamenta ſunt termini Metaphyſ. ſed poteſt erigi enunciatio ex terminis naturalibus, & aliarum ſcientiarum ac artium; ergo prædicamenta ſunt partes enunciationis per accidens.

HARVM obiectionum, quoniam (ni fallimur) pro fundamento veritatem non habent, facilis eſt dilutio. Et primò ad primam dicimus, quòd minor (cum ſupportatione) eſt falſa. Ad probationem verò reſpondemus, quòd nomina & verba enunciationis definitionem proximiùs & immediatiùs ingrediuntur; at ipſa prędicamenta mediatè, & quodam modo remotiùs eandē enunciationis definitionē pficiunt. quādoquidē ſub aliqua prædicamentorū coordinatione prædicta nomina & verba eam definitionem immediatè ingredientia collocantur, quod Prædicamētum eorūdē Simplicius principium eſt. Nec hinc per accidens dici debet, quum eſsentiale & quidditatiuum eiſdem nominibus ac verbis ſit. Neque enim dicimus principium accidētale, ſeu partem per accidens Socratis eſse animal, quippe cùm eiuſdem Homo principij proximioris rationem obtineat, & per conſequens non eſt aſserendum, quòd penitus conſiderationem eam quæ de Socrate habetur, animal tanquam extraneum effugiat.

Prædicamēta quo modo enunciationem ĩgrediuntur.

Partes per accidēs enūciatiōis, prædicamenta dici nō debent.

Ad ſecundam inſtantiam reſpondemus, quòd illa propoſitio, Illud eſt per accidens tale, quod eſt per aliud; non eſt temerè intelligenda, & ſic abſolutè; ſed eius vera intelligētia (vt nos arbitramur) eſt, quòd ea quæ ſunt per aliud talia, non ſunt per ſe, & primò talia; ex hoc tamen nō ſequitur, quòd ſint per accidens talia: qui non eſt idem dicere, Per aliud; & dicere, Per accidens. Dicimus enim Socratem eſſe per aliud rationalem ſeu riſibilem, quia per hominem; ideo nanque rationalis Socra-

Differt eſſe per aliud, et eſſe per accidens

tes

tes,quia homo; nec tamen audebit dicere quiſpiã rationalitatem per accidens ineſse Socrati. Nec authoritates quas pro ſe Balduinus adducit, contra nos faciunt.nam in quinto Phyſ.tex. primo volens Ariſt. docere quòd omne quod tranſmutatur,tribus modis tranſmutari dicitur,inquit,quòd primò aliqua tranſmutantur per accidens, vt cùm dicimus,muſicum ambulare. Secundò,aliqua tranſmutantur ſimpliciter, quia ſcilicet aliqua eius pars eſt,quæ tranſmutatur,ut quum dicimus, quòd ſanatur corpus, quoniam oculus aut thorax ſanatur. Tertiò, quędam nec per accidens, nec per partes, ſed primò & perſe tranſmutatur, ut alterabile per ſe ſecundùm alterationem tranſmutatur, augmentabile ſecũdùm augmentum. Ecce qualiter ex hoc textu potius pro Balduini propoſito,colligitur oppoſitum, tum quia contradiſtinguit eſse per accidens,ab eſse per aliud; tum etiam, quoniam eſse per aliud,uocat eſse ſimpliciter, & non accidentale. In primo etiam Poſt. cap.de vniuerſali, nec aliquid habetur,quod noſtram poſitionẽ oppugnet. Docemur enim ibi, quòd hoc, quod eſt habere tres angulos ęquales duobus rectis, competit iſocheli,ſed non primùm,quia prius triangulo competit. Nec colligemus hinc, habere tres angulos, per accidens iſocheli euenire,cùm iſocheles trianguli quędam ſit ſpecies, nullaque generis ratio ſpeciebus accidentaliter eueniat, ceu Balduinus imaginatus eſt. Pro nulla igitur talis eiuſdem obiectio relinquatur.

Inſuper,quoniam multùm valet argumentationis ad hominem vis; dicamus falſam esſe eandem maiorem propoſitionem. nam per hunc Doctorẽ nomen & verbum neceſſariò ad demonſtrationem requiruntur, & tamen eandem non principaliter ingrediuntur & propinquè,ſed p aliud, interuentu

Nomen, et uerbũ ꝑ aliud demonſtrationẽ ingredi.

ſcilicet ſyllogiſmi,& enunciationis. Propoſitiones enim ſunt demonſtrationis, & ſubiecti logices partes,& non nomen & verbum ; quare à pari liceret arguere nomina & verba non eſſe logicæ conſiderationis; quam abſurditatem alij iudicent.

Ad tertiam obiectionem dicimus, Ariſt. ibi proximio res enunciatiuæ orationis enumerauiſſe partes, non remotas, cuiuſmodi ipſa ſunt predicamenta; ergo prædicamenta partes ſunt per accidens, & à conſideratione logica explodenda: Negamus conſequentiam, immo, ut diuinè ſanctus Expoſitor docet, quum prima Intellectus operatio, indiuiſibilium ſit intelligentia; & ſecunda eorundem iam comprehẽſorum compoſitio, vel diuiſio; ſequitur, quòd quemadmodum ſecundæ Intellectus operationi eſt prior neceſſaria: (quoniam non componuntur nec diuiduntur, niſi ea ſimplicia quæ primùm fuerant apprehenſa.) ita liber Prædicamentorum, in quo de his agit Ariſt. quæ ſimplici concipiuntur intelligentia, penes quæ prima ordinatur Intellectus operatio, eſt neceſſarius libro Perihermenias, vbi ea tractantur quæ ad affirmatiuam, ſeu negatiuam enunciationem attinent, circa quę ſecunda eiuſdem Intellectus operatio verſatur; Tũ hæc ſecunda ad tertiam, qua Intellectus ipſe ratiocinatione vtitur; de qua in reliquis libris, tũ Analiticis, tum etiam Topicis, & Elenchis determinat Ariſt. Et hęc eſt vera atque Peripatetica doctrina. blacterent ſuo modo qui Angelici Doctoris elucubratiſſimis monumentis,& iam à veris Ariſtotelicis digniſſimè receptis, detrahere inani ſtudent latratu.

S. Tho.

Adhuc, huius tertiæ obiectionis vi contra hunc Doctorem poſſemus concludere, & nomina & verba (quæ ipſe tanti facit) in logica per accidens conſiderari: quoniam Ariſt. in primo Priorum ea, de qui-

quibus tractaturus erat,proponens,dixit:Primùm dicere circa quid &c.deinde determinandum quid propoſitio, & quid terminus, quid ſyllogiſmus, &c.nulla nominis,ſiue verbi mentione facta; ergo nomina,& verba partes ſunt ſyllogiſmi,& demonſtrationis per accidens; & perconſequens à logica conſideratione repellenda. quam, pro ſe adducet reſponſionem, pro noſtra nos contra authorem recipiemus.

Ad quartam impugnationem, & eſt elegantis Reuerendique Patris Gometij, quem, præceptorem certè non pœnitendum, nimium,amiciſſimus noſter & conſanguineus Vincentius Morales Baccallaureus Netinus, non minus perſpicax, quàm nobilis obſeruat; reſpondemus, quòd (pace ſuæ eloquentię)aliud proponit,& aliud concludit.idque(iudicio noſtro) prouenit, quoniam non diſtinguit inter id quod eſt accidens, & id quod eſt per accidens, quæ certè differunt. Multa nanque ſunt quę accidunt alicui,at eidem peraccidens minimè eueniunt; accidūt enim ſubiectis omnes proprię paſſiones;at nemo ſanæ mentis ſubiectis, per accidens in eſſe eaſdem poterit affirmare; quando id Magno Magiſtro in primo Poſt. cap. de per ſe talibus repugnat,immo rationalitas ipſa, quę hominis ſubſtantialis eſt forma, animali accidit; nec tamen aſſeret aliquis, quòd eidem per accidēs inſit. Deberet igitur ex maiore propoſitione illa concludi, quòd prędicamenta accidunt enūciationi. At forte huiuſmodi concluſio non eſt contra nos; quia enunciationi prędicamenta accidere nō negamus;nec ſequetur inde, Ergo abſque prædicamentis erigi poteſt enunciatio. Hoc nanque dictum pro parte ueritatem habet; quia ſcilicet fiet enunciatio abſque tali, vel tali prędicamento,falſum nihilhominus erit, ſi eandem abſque prędicamentis

Aliud eſt accidens, aliud per accidens.

Quomodo intelligi pōt prædic. enunciationi accidere.

camentis omnibus conſtitui poſſe ſupponit; quod quidem exemplis vel de formis reſpectu materię primę,vel de locis reſpectu corporum,multis verbis declarare ſuperfluum eſſe cenſemus. Vnde patet eiuſdem Gometij minorem propoſitionem in qua aſſeritur eſſe poſſe enunciationem abſque prædicamentis,falſam eſſe.ſunt nanque partes enũciationis ſimpliciſſimę ipſa prędicamenta; ad quę tandem propinquiores eiuſdem partes, reductionem, ut ad propria ac uniuerſaliſſima capita obtinent.

Magnus Gometij lapſus.

Vana adhuc nobis illa videtur opinio, qua idẽ Reuerendus Doctor ſubſtinet ex naturalibus terminis, ſiue aliarum ſcientiarum, enuuciationem fieri poſſe.Diſcere profectò exoptarem,quomodo naturales enunciationes abſque Prædicamentis erigerentur.Sic etiam & aliarum ſcientiarum; quoniam prędicamenta metaphyſicales terminos eſſe iſte uir concludit.Et nonne, ſi metaphyſicales ſunt termini,ſunt pariter & reales? Quare igitur reales ſcientiæ,cuiusmodi eſt naturalis, & aliæ, enunciationes abſque prędicamentis conſtruent?Paradoxum quidem videtur hoc, ſed non utile documentum,multoque minus rei naturæ conſonum.

Quintum Balduini argumentum.

AMPLIVS demonſtratiuè(ut ſcribit) argumentatur hoc modo. Quicquid conſideratur per ſe in arte,continetur per ſe ſub conſiderandi modo illius artis; ſed decem prędicamenta non continentur per ſe ſub conſiderandi Logices; ergo neque in Logica per ſe conſiderantur. vnde nõ ſunt neceſſaria Logices pars: Maior eſt Ariſt. & Auerr.

primo Poſt.179.& alibi. Minor ſupponit modum conſiderandi Logices,eſſe,ut ſit inſtrumentum ad alias artes ſciētiasq́ue.quod multis probatur ibi. Sed prædicamenta ſub modo conſiderandi Logices non contineri,ita demonſtratur; Modus conſiderandi ſumitur à modo definiendi: ſed decem prædicamenta in lib. Prædicam.non definiuntur, ut inſtrumenta,ſed ut res;ergo nec conſiderantur, vt inſtrumenta,& per conſequens non poterunt in Logica conſiderari. Patet proſyllogiſmi minor ex definitionibus & deſcriptionibus eiſdem aſſignatis.

Satisfactio.

AD hanc rationem reſpondemus, negando minorem. Ad probationem dicimus fortè ad mentem plurimorum antiquiorum, quòd ſupponit id quod non ab omnibus recipitur: & non debet pro determinato haberi id, quod adhuc in litem uertitur. Vnde dicerent qui aliter ſentiunt, ſubiectum in Logica eſſe entia rationis; modus autē conſiderandi,qui & ratio formalis appellatur, eſt, vt ſunt rerum ſeu primarum intentionum conceptus. Cum igitur varia varij circa hanc diſputationem ſentiant; & probabilibus ſinguli ſcateant rationibus;non licèt pro conceſſo ac ſuppoſito illud ſumi quod adhuc ſub iudice pendet.

Non dicitur ſuppoſitum id in quo non omnes conueniunt.

Sed quoniam,qui Balduinum inſectantur, poſſent inſtare, ſe adhuc validiſſimis rationibus, atque(vt dicere aſſolent) demonſtratiuis, rationem formalem,modumq́ue conſiderandi in Logica eſſe inſtrumentum ſciendi,probaturos, pollicentes, eſto admittamus poſtulatum,tunc denuò negamus

huius quintæ obiectionis minorem,quam ipſi pro
bant, aſſerentes decem prędicamenta non definiri
in libro Prędicamentorum,ut inſtrumenta,& per
conſequens non eſſe ſortita modum conſiderandi
Notan- Logicæ,qui à modo definiendi auſpicatur.Ad hoc
dum. nos reſpondemus;non esſe necesſarium,quòd om
nia quæ in aliqua facultate conſiderantur, habeāt
expresſam in propijs definitionibus, illius faculta-
tis pręcipuam rationem formalem;credimus tamē
id fore necesſarium pro principalioribus eiuſdem
facultatis partibus,ac ijs quibus, ut dignioribus,
bona conſiderationis illius portio, nec non occa-
ſio impartitur.Sic igitur de libro Prædicamento-
rum dicimus,quòd non ob hoc, quia non habent
in proprijs definitionibus illa rationem forma-
lem uniuerſalis Logicę ſubiecti, à logica conſide-
ratione extrudenda ſunt;hoc enim(ut dixmus) nō
eſt abſolutè necesſarium.ſufficit autem,quòd Pręs-
dicamenta ipſa ad principale logicę facultatis ſu-
biectum, eiuſdemque rationem formalem dirigan
tur;nanque ea conſiderantur,ut ſimpliciores enun
ciationis partes; quę quidem enunciatio dirigitur
ad demonſtrationem, & definitionem, quę ſunt
præcipua inſtrumenta ſcientifica, quibus tādē Lo-
gici negocij finis clauditur. Patet hoc exemplo in
alijs facultatibus:eſt enim formalis ratio conſide-
rationis phyſicæ ipſa mobilitas,ſeu naturalitas, in
numera nihilhominus tum in libro Phyſicorum,
tum in libris de Cœlo,de Gener. & corrupt. Me-
teororum,tum etiam de Anima,& paruorum na-
turalium,&c. tractantur, quæ hìc recenſere, eſset
aggregare verba abſq; necesſitate,in quorum de-
finitionibus, neque mobilitas, neque naturalitas,
aut ſenſibilitas cadit:nec tamen dicet aliquis (qui
non ſit fatuus)illa talia à philoſophica ratione eſ-
ſe reijcienda. Sed cur multis vagamur? Nonne in

eadem

eadem Logices facultate, multa alia à prædicamentis tractantur, in quorum definitionibus nõ cadit inſtrumentum, ac logicæ formalis ratio? quandoquidem neque nomen, neque verbum, neque oratio, neque digniſſima orationis ſpecies ipſa, nempe enuntiatio, definiuntur ſub tali conſideratione; ergo inferetur hinc eadem ſecludi à logica tractatio ne? ergo liber Perihemenias non erit logicus? & quodnam miſer inueniet hoſpitium? cùm neque limites aggredietur ſcientiæ Metaphyſicalis, in cuius ędes librum Prędicamentorum impellunt, qui tali opinione detinentur. Immo neque ipſe ſyllogiſmus definitur, ut inſtrumentum, & tamen inter principalisſimas totius Logicę partes enumeratur, adeo quòd graues authores, ſubtiliſſimiq́; doctores, in logica ſyllogiſmum eſse ſubiectum ſtatuerunt, ergo concludent iſti libros Priorum nõ eſſe logicos? Ecquis igitur erit logicus? Nanq́ue Poſteriorum libri, ſicuti eos Priorum inſcriptione ſequuntur, ita & domicilio comitabuntur. Concludamus denique ſatis eſſe, quòd liber Prędicamentorum ad formalem logices rationem dirigatur: conſiderantur enim, vt enunciationis, conſtructurę demonſtrationem, quę inſtrumentum eſt faciens ſcire, partes ſunt.

Sexta Balduini obiectio.

ET demonſtratiuè quoque (ut credit) arguit ſic; Quælibet conſiderata in arte, ſumunt neceſsitatem à proprio illius artis fine; vt tanta & talia conſideret ars, quanta & qualia ad eius finẽ ſunt neceſſaria. Sed quæ conſiderantur in libro Prædicamentorum, non ſunt neceſſaria, nec faciunt ad finem Logices; ergo decem Prędicamen

ra, non debent à Logico conſiderari. Probatur Maior ex Ariſt.3.Ethi.6.& ab Auerr. alibi. Minor eſt vera, ſupponens finem logici negocij eſſe definitionem ad quam demonſtratio ordinatur, quæ non cognoſcitur ignoto ſyllogiſmo ſimpliciter, nec ſyllogiſmus ignorata propoſitione, neque hęc non cognitis ſimpliciſſimis principijs quę ſunt nomen, & uerbum, in quæ reſolutio ceſſat omnis; quoniam in Logica nomine & verbo nihil datur ſimplicius. ergo contra omnes Logicos (ait) ex neceſſitate librum Prædicamentorum non eſſe logices partem, ſequitur.

Dilutio.

Logices finis nō eſt definitio.

HVIVS rationis falſam eſſe minorem, reſpondemus. Supponit pro huius minoris probatione Balduinus, finem Logices eſſe definitionem. Hoc ſuppoſitum falſum adhuc eſſe autumamus; & quanquam ipſe asſerit diffuſiſſimè id probatum fuiſse in quodā proprio quęſito, quod inſcriptum eſt, De nobiliori inſtrumento ſciendi, nos tamen dicimus, probationes quoque illas nullius (pace tanti doctoris) esſe momenti, quod modò indicaremus, ni caput in capite ponere videremur; at rem ita ſe habere, vt nos declaramus, in calce huius quæſtionis demonſtrare pollicemur. Sed quoniam ſexta iſthęc obiectio eodem paſsu currit, ſiue finem logices diffinitionem eſse concedamus (vt Bald. petit) ſiue demonſtrationem (ut nos putamus.) quandoquidem vtrunque ſit, reſolutionē ſyllogyſmi, ad nomen & uerbum terminari concludit, idcirco reſpondemus huiuſmodi rationem non posſe reijcere Prędicamenta; nam quando in ea reſoluuntur necesſaria definitioni, in nomen

Complexum eſt hoc in 3. cap.

& verbum;nos dicimus tunc ultrò progrediendum eſſe. Non enim ceſſamus,quando ad nomen & uerbum diuenimus; quia iſthęc rurſus in decem Prædicamenta reſoluenda eſſe tenemus.

Vidit hanc reſponſionem Balduinus; & ideo in eandem inuehitur; & primò hoc medio. Illud eſt prius,ſimplicius,ac uniuerſalius,à quo non conuertitur ſubſiſtendi conſequentia. Sed ſi datur ſubſtātia,datur nomen, & non è conuerſo; ergo nomen eſt ſimplicius, prius & vniuerſalius quàm ſubſtantia;& ſic de alijs prędicamentis. Maior patet. Minor probatur in omnibus prædicamentis. Nanque omnis ſubſtantia eſt nomen, & non omne nomen eſt ſubſtantia: omnis quantitas eſt nomen, & non è conuerſo, & ſic de ſingulis prędicamentis; ergo nomē eſt ſimplicius prius &c. q̃ prędicamēta. *Bald. 1. impugnatio.*

Secundò ſic. Illud eſt prius ac ſimplicius alio,cuius definitio eſt prior ac ſimplicior: ſed definitio nominis prior eſt ac ſimplicior definitione ſubſtantiæ, & aliorum Prædicamentorum; ergo nomen eſt ſimplicius &c. Minor probatur, ut ſuperflua omittamus; quia definitio nominis eſt ſimplicior ea ſubſtantiæ & aliorum Prædicamentorum. Nam ſic nomen definitur; Nomen eſt vox ſignificatiua ad placitum ſine tempore. Et ſubſtantia ſic; ſubſtantia eſt vox ſignificatiua ad placitum ſine tempore, quę ſignificat talem naturam, quæ per ſe exiſtere poteſt. Et ſic patet; quòd definitio ſubſtantię plura complectitur; ergo eſt compoſitior; & ſic tandem nomen erit ſimplicius, &c. & more ſuo hoc medium demonſtratiuum nuncupat. *Secunda.*

VErùm enimuerò dicimus nos vtrumq; mediū eſſe futile; & idē penè concludunt utriuſque probationes, nempe nominis ſimplicitatem maiorem. Sed ad primam reſpondemus, quòd nullum habet uigorem: quoniam, qui tenent librum *Confutatio prima impugnatio.*

Notãdũ. Prædicamentorum eſſe logicum, hi [non intelligunt,ſubſtantiam, vel vnum aliud quoduis Prædicamentum eſſe logicum, atque illud idem Prædicamentum eſſe nomine ſimplicius. ſed omnia decẽ comprehendentem librum, eſſe logicum determinãt. Quando igitur arguit Balduinus, Si datur ſubſtantia,datur nomen,& non è conuerſo, deceptorius, (pace ſua)hic eſt arguendi modus; ſed ita debebat procedere, Si dantur decem prędicamenta, datur nomen;& tunc bene ſequebatur conuerſio; nam ſi dabuntur nomina,dabuntur & conſequenter decem Prædicamenta; quia talia nomina non erunt extra ipſa decẽ Prædicamenta. Modus enim *Argumẽti fallacia* ille argumentandi Bald.(ut ſuperius retulimus) eſt illi ſimilis qui de corpore & loco erigitur; cùm dicitur,Corpus poteſt eſſe absque iſto loco, & abſq; iſto loco,&c.ergo abſque omni loco. ſimiliter,Materia prima poteſt eſse absque iſta forma, & ſine iſta alia forma, ergo ſine omni forma. quæ argumenta falſa ſunt, nec concludere poſsunt, ni primùm omnia enumeret loca, & ſecundùm, omnes formas;vel ea utantur additione,ideſt,Et ſic de ſingulis,& tunc clara apparebit falſitas, quoniam neque absque loco corpus, nec ſine forma conſiſtet materia. Aſſerit nanque Bald. Si eſt nomen,nõ eſt ſubſtantia;ſi eſt nomen,non eſt quantitas; ergo ſequetur hinc,acutiſsime Doctor, quòd ſi datur nomen, non dabuntur de neceſsitate decem Prædicamenta? hoc certè nunquam ſequetur. Debebant igitur ſingula enumerari Prędicamẽta; adeo quòd excluſio unius, excluſa cętera ſupponeret omnia, quod ſtatim appareret eſse falſum, quia ſi nomen non includit hoc uel illud prædicamentum,non tamen excludit omnia; quia extra omnia prædicamenta eſse,impoſsibile eſt.

Ad ſecũdam impugna. Ad ſecundę inſtantiæ medium, dicimus, quòd

ex uerborum in ipſa definitione poſitorum congerie, non debemus, definitum ſiue ſimplicius, ſiue magis compoſitum eſse argumentari. Vana quidem (ut nobis uidetur) eſt huiuſmodi perſuaſio; nam uerba in definitionibus ſiue deſcriptionibus poſita, ad definiti ſeu deſcripti enucleandam naturam adducuntur, & quò ea ſunt plura, eò fortaſsis clariori explicationi intenditur. Quodnã Deo (quęſo) ſimplicius ens excogitari poteſt? & tamen ſi eiuſdem à Platone definitionem poſtulabis, multis ille aſsignabit eam uerbis contentam, ut ex Amonio ſuper Prędicamento ſubſtantię colligitur, quòd ſcilicet ſit non corpus, nec color, nec angelus, nec eius quidpiam generis, ſed his prędſtantius quoddam. At, ſi de negatiuè aſsignatis definitionibus aliam habendam eſſe rationem contendat Balduinus, quid eidem authori Platoni obijciet, poſt principium Epinomis, ſeu Philoſophi, ita Deum deſcribenti? Deus eſt bonorum omnium author, & maximi boni, ideſt, prudentiæ cauſa. Sed ſi tanquam Peripateticus alium ab Ariſtotele audire noluerit, legat eundem 12. Metaphy. t.c. 39. qui Deum definiens, cum, inquit, eſse animal ſempiternum, optimum &c. qui tamẽ hominem definiturus, breuiùs diceret, eſse animal rationale. Num igitur ſimplicisſimo Deo erit homo ſimplicior? immo, ſi etiam corporis, & animæ definitiones contemplabimur, iſta illud longè ſimplicius eſſe concludemus, ſi plura in definitionibus appoſita uerba maiorem definiti compoſitionem argumentantur. Corpus nanque, dicemus eſse compoſitum ex materia & forma; ſed animam, eſse actum corporis, phyſici, organici, potentia uitam habentis. Hanc pariter abſurditatem in innumeris ferè definitionibus oſtendemus. immo & ex ipſis quas affert, nominis, & ſubſtantiæ definitionibus oppoſi-

Definitionẽ ingredientiũ ratio.

Balduinus ſibi nimium credens.

Balduinus ſibi nimium credens.

tum contra authorem demonſtrauimus, qui ut proprio alluderet conceptui, breuem ſubſtantię definitionem longiorem effecit, & prolixiorem eam nominis breuibus expediuit. Definitio enim ſubſtantiæ ab Ariſt. aſſignata primæ nimirum, hæc eſt. Subſtantia eſt, quę neque dicitur de ſubiecto, neq; eſt in ſubiecto. Secundæ autem hęc: Subſtantiæ ſecundæ ſunt, in quibus primæ inſunt. At Balduinus nouam eſt imaginatus definitionem, ut prolixiorem eandem redderet, dicens, Subſtantia eſt uox ſignificatiua ad placitum, ſine tempore, quę ſignificat talem naturam, quę per ſe poteſt exiſtere. Et nomini propriam, non imaginariam obtruncauit, aſſerens: Nomen eſt uox ſignificatiua ad placitum ſine tempore; omittens eas alias particulas, quas ut neceſſarias Ariſt. adiunxit libro primo Perihermi. tales, Cuius nulla pars ſignificatiua eſt ſeparata.

Bald. in cōſtātia.

Contemplentur hinc Lectores, quæ ac qualia immodicus & intemperatus rerum propriarum amor pariat: qui quidem, etſi intimiùs rem intueantur, eundem amorem in tantam vecordiam Balduinum traxiſſe noſcent, quòd dum friuoli medij huius probationi ſtudet, uniuerſam tractationē euertens, ſibiq́ue ipſi clariſſimè contradicens, opinioni quam diruere inſudat, mirum in modum aſtipulatur. In toto nanque huius quęſiti progreſſu, Prædicamenta ipſa entia realia eſſe, & ut talia in libro Prædicamentorum tractari, ac definiri, enixus eſt comprobare. At nunc uel (ut diximus) proprij inuenti detemptus amore noui, vel ſui immemor, uel (ut potius credimus) ab ipſa ueritate coactus, quandam prædicamento ſubſtantiæ attribuit definitionem, & (quòd magis refert) ut in libro conſideratur Prædicamentorum, quæ eandem ut ens rationis eſt, atque ad Logicum pertinens determinat.. Definire enim ſubſtantiam, ut uox eſt ſigni-

fica-

ſicatiua ad placitum ſine tempore &c. eſt eandem, ut ſecundę ſubiacet intentioni, contemplari; uel certè, vt nomen, uel verbum in primo Periherm. eadem definitione comprehenſa, contemplamur. Ad hęc non niſi,vt entia rationis ſunt, eodem vel Balduino teſte,qui librum Periherm. non modò, vt logicum recipit, ſed etiam vt primum logicæ facultatis. ergo ſubſtantiam vt ens rationis in libro Prędicamẽtorum definiri & conſiderari aſſeuerat; quod an ita ſit,ut nos credimus,alij iudicent.

Vlteriùs,quando iſte doctiſſimus uir negat nomen per vlteriorem reſolutionem reduci ad prædicamenta tanquam ad ſimpliciora; quæri ab aduerſarijs poteſt,Quidnam ipſe per nomen intelligit?an nomen,ut eſt terminus primæ intentionis, an ut ſecundę abſolutę; an tertiò, ut eſt terminus ſecundæ intentionis adiunctus primę?Non primũ; quia tales terminos non conſiderat Logicus. Non ſecundùm; quoniam tunc propoſitio ex ſecundis intentionibus ſimpliciter conſtaret; quod admitti non debet. Nam nomen conſideratum ut ſic, nil aliud dicit, niſi ut eſt pars orationis declinabilis, cum caſu,numero &c.Ergo dicendum eſt,quòd intelligitur nomen,ut eſt terminus ſiue uox ſecundæ intentionis adiunctæ primæ,fundatæ in prima, & concernentis primam. Vt ſic igitur conſideratum nomen, ſemper ad Prædicamentum aliquod reſpectum ac reductionem habet; & ſemper aliquid in prædicamento exiſtens, concernit: & quando nomen propoſitionem ingreditur, ut prædicamentorum aliquid ſignificare habet,ingreditur;& non ſimpliciter ut nomen eſt. Nam non dicimus, Nomen habet tot caſus, nomen habet tot numeros, nomen eſt declinabile;eſt aliud à uerbo &c.in quibus propoſitionibus ſubijcitur nomen, vt ſimpliciter eſt ens rationis;nullo habito reſpectu ad pri-

Neceſſitas Prædicamentorum ad nomen et uerbum.

mas intentiones.

Concludendum igitur eſt, quòd nomen ſemper aliquod prædicamentale ſignificat; et ſic ad illud prędicamentum reducibile eſt:& conſequenter illud tale prędicamētū ad quod ulterior nominis reſolutio terminatur, eſt ipſo nomine ſimplicius; & tandem prædicamenta ſunt ad conſtitutionem propoſitionum neceſſaria; & ſic à primo ad vltimum, liber Prędicamentorum eſt logicus, & pars in Logica neceſſaria. Dicat quicquid uelit bonus iſte Doctor.

Septima Balduini demonſtratio.

ALIAM erigit acutus iſte Doctor rationem demonſtratiuam nuncupatam, tali medio; Talis eſt ars, quale eſt eius ſubiectum; ſed libri Prædicamentorum ſubiectum eſt ens extra animam; ergo & ars libri Prædicamentorum eſt realis,& non logicalis. Maior eſt Ariſt.3. de Anima. 38. primo de Anima t. primo. & primo Poſt. 179. Minor patet; quoniam prædicamenta quatenus entia, ſunt ſubiectum in libro Prædicamentorum. quod probare pollicetur in quodam alio quæſito de ſubiecto libri Prędicamentorum edendo.

Confutatio.

Balduini iactātia. NON poſſumus diutiùs contineri, quin dicamus, mirum eſſe hoc; quòd quum ad erigendam demonſtrationem, tot tantæque exigantur conditiones; quibus exponendis totus conſumitur primus liber Poſteriorum; & certent doctiſſimi uiri, num, quam docuit demonſtrationem Ari

ſtot. aliquando conſtituit quam uel bis, uel certè non plùries compleuiſſe determinant. Nouiſſimis his temporibus, ſic facilis eiuſdem conſtructio inuenta eſt, ut quoduis proponatur diſputãdum problema, Dominus iſte Balduinus, eiuſdemque confeſſor, Reuerendus iſte Franciſcanus, affirmatiuè, uel negatiuè, innumeris demonſtrationibus probare, ſibi ipſis perſuadeant; alios, ut ita credant perfectum eſſe cogentes, ac ſi uellent aduerſariorum ora, & calamos, demonſtratiuarum rationum uel ſola nomenclatura, claudere, & obtundere. Ad propoſitum igitur reuertentes dicamus, ſuperius; ſcriptæ rationis maiorem nõ eſſe abſolutè uerã; & Ariſt. quas adducit authoritates, fortè ex illis textubus non (vt putat) eliciuntur. Si enim uera eſſet, tunc omnes ſcientiæ eſſent una; pariter & artes, quoniam vnum eſt ſubiectum omnium; & ipſa logica adhuc ſcientia eſſet realis, quia eius ſubiectum, ſicuti & omnium aliarum facultatum, eſt ipſum ens. Vt igitur talis propoſitio maior ueritati inhæreat, ita formandam eſſe arbitramur; Qualis eſt ratio formalis ſubiecti, talis eſt ars. Formalis enim ratio ſubiecti eſt, quę dat eſſe eidem ſubiecto quo differat à quocunque alio, & penes eandem variantur ſcientię, à qua & ipſæ ſcientiæ qualitatem, & conſiderandi modum ſuſcipiunt. Tunc minor huiuſmodi erit; Sed ratio formalis ſubiecti libri Prædicamentorum, eſt ens extra animam. At talem propoſitionem ut falſam renuimus, cùm ſatis ſuperque oſtenſum ſit, ſubiectum libri Prædicamentorum eiuſdemque formalem rationem, eſſe ſimplices uoces, medijs conceptibus res ſignificantes, & ſic de entibus rationis, adiunctis primis intentionibus, tractatur in libro Prędicamentorum, & non de entibus extra animam. Patet hinc qualiter iſte doctor volens probare ſuam minorem,

Bald. peſit ĩ princip.

tem, facit petitionem in principio. Idem enim eſt dicere cum minore ſyllogiſmi, ſubiectum liuri Prędicamentorum eſſe ens extra animam, & dicere eum eiuſdem minoris probatione, Prædicamenta quatenus entia, eſse ſubiectum in libro Prædicamentorum. Probatur quidem ignotum per æquę ignotum. Sed ſi hoc aliàs ſe probaturum ſpôdet, nos ipſos pariter tunc reſponſuros promittimus.

Octaua Balduini inſtantia.

PRAETEREA ex carentia prologi, arguit iſte doctor librum Prędicamentorum non ſolum non eſſe logicum, ſed etiam Ariſtotelicū non eſſe: quoniam ex 3. Retho. cap. De procemio, habetur, quòd ars in duas ſaltem debet diuidi partes, in procemium ſcilicet & tractatum. Sed liber Prędicamentorum caret procemio, ergo non fuit editus ab Ariſt. Probatur carere procemio; quia per Ariſto. procemium eſt inuentio rei docendę. Nec Auerr. dixit Anteprædicamenta eſse procemium, ſed retulit primam partem Prædicamentorum eſſe, ſicut procemium; uel hoc dixit ſecundùm communem Expoſitorum ſententiam, non ſecundùm rei veritatem.

Reſponſio.

DICIT iſte Doctor, hanc rationem apud eruditos Peripateticos eſſe demonſtrationem. At nos num demonſtratio ſit, neſcimus; credimus tamen, quòd intentum minimè concludit. Non enim uidemus quomodo neceſſaria conſe-

quentia

quentia ſit iſta, Liber Prædicamẽtorum procemio caret,igitur non eſt logicus. Et rurſus: Liber Prædicamentorum non habet procemium , ergo non eſt Ariſt. Quum nanque prologus neceſſaria & eſſentialis pars operis non ſit,ſed potius ad benè eſſe proponatur:quare eo deficiente uniuerſa operis ratio corruit?Multos quoque Ariſt.libros ad manus habemus,qui prologo carent,& tamen ut legitimi recipiuntur,immo,ut plurimùm,Ariſt.in operum digniorũ exordiis, axiomatibus quibuſdam, ac poſtulatis, conceſſiſque propoſitionibus potiùs quàm procemijs uti aſſolet.Dicent(ſcimus)aduerſarij,in talibus propoſitionibus prologos comprehendi. Sed ſi pacato iſti animo rei ueritatem perſcrutentur,canent fortaſſe palinodiam.Qui adhuc licèt tanti definitionem faciant, ut ipſam nobilius inſtrumentum ſciendi nuncupẽt,ſubiectum in Logica principalius aſseuerent,ad quam demum omnia in Logica conſiderata attributionem habere pro firmiſſimo ſtatuant,nullũ tamen de ipſa procemium fecisse Ariſt. oſtendent.quæ quantùm(iuxta eorum dogmata) correpugnent,qui talium poſitionum ſectatores non ſunt, iudicent. Siq; Anteprædicamentorum tractationem pro prologo,contra eorum ducem Auerroẽ non admittunt,quod & alij ab Auerr. tuentur.contentari deberent uel hac ꝑſuaſione,quòd hìc Prædicamentorum liber minime omnium,præfatione indigebat; quandoquidẽ ea omnia de quibus agit,per propria diſtincta capita,proprijsque inſignata titulis,ac inſcriptionibus,lectorum oculis à primo ſtatim intuitu offerũtur,ut uel nullo labore,operis ſubiecta, authoriſq; mentem intentionemque protinus agnoſcant,eſse de ſummis primiſque rerum generibus; in libro potiſſimùm authoris,qui omnium maximè breuitati ſtuduerit,& qui ornatas huiuſmodi enarrationes,

Procemiũ nõ eſt neceſſariũ.

Obiecti ſolutio.

Prædicamentorũ opus præfatione nõ egere.

nes,lõgiora prologomena, curioſaq́ue proloquia perpetuò neglexerit, adeò ut circa hoc ſcribendi genus,grauiſſimorum authorum cenſuras, ne dicã calumnias, minimè aufugiat. Sed hæc ſatis, quum procœmia ſimpliciter neceſſaria non eſſe (ut diximus)nemo eat inficias.

Nonus Balduini nodus.

QVODAM alio ab Auerr. deſumpto arguẽdi modo ,librum Prædicamentorum non eſſe in Logica neceſſarium iſte doctor inculcat. Supponit enim Prædicamenta quatuor modis conſiderari poſſe.Vel ut nomina tantùm, & ſic conſiderantur in lib. Periherm Vel vt termini in communi,& ita in lib. Priorum. Siue ut prędicata inquid,aut in quale;& ſic in libro Topic.Seu ut Prędicata per ſe;& ſic in lib.Poſter.conſiderantur. Ex quibus colligitur(ut præfatum eſt) librum Prædicamentorum in logica nequaquam eſſe neceſſarium.

Solutio.

Multiplex libri prædicamentorũ neceſsitas.

DISSOLVI obiectio hæc multifariam poteſt.Et primò dicimus, cognitionem prædicamentorum neceſſarjam eſſe; ſed nulla aſſertarũ ratione cogente;ſed ut prima operatio Intellectus ſaluetur;de qua abundè ſuperiùs ad mentem Beati Doctoris digreſſi fuimus. Tres enim Intellectus operationes, totam adęquare logicam manifeſtauimus,quum ipſa circa Intellectus entia uerſetur.

Secundò reſpondemus,conſiderari decem prædicamenta, quatenus ſub illis decem entium cõſiderantur

rantur conceptus: at nulli dubium eſse arbitramur, Logicæ facultatis munus eſse, de huiuſcemodi conceptibus diſſerere.

Tertiò, aſserimus conſiderari eadem decem prędicamenta in proprio dicato libro abſolutè, & vniuerſaliter, ut nimirum nominum terminorum, & quorumcunque prædicatorum, habitum induere poſsunt, & ſic vt cuicunque conſiderationi applicabilia ſunt.

Quartò declaramus, quòd ſi ab ipſis predicamentis ea exigitur conſideratio quæ ad finem totius logices dirigitur, ut eadem tali quoque deſeruire fini innoteſcat; dicimus (ut ſuperiùs expoſitū eſt) prædicamenta conſiderari, ut ad ea nomen, & verbum reductionem habent; in quę, ut in prima principia, reſoluuntur: & ſic quatenus ſunt ſimpliciores partes, omnium in prętacta obiectione poſitorum nominum, terminorum, atque prædicatorum, in uarijs iam enumeratis logicæ libris conſideratorum.

Quintò, ſi talis arguendi forma ualet, probabitur pariter librum Priorum non eſse neceſſarium. quia in tali libro vel agitur de ſyllogiſmo demonſtratiuo; & ſic de tali in libro Poſteriorum agitur. uel de Topico, & de hoc tractatur in libris Topic. vel de ſyllogiſmo fallaci; ſed hic conſideratur in lib. Elenchorum: ergo ſuperfluum librum Priorū eſse, concludetur. Et ſicuti friuola eſt iſthæc ratio, ſic & illa Balduini, qua probat lib. Prędicamentorem fuiſſe ſuperfluum. Et hæc ſuffecíſse putamus, ad diruendam hanc rationem, quę acutiſsimis cōdiſcipulis noſtris placuiſse cognouimus, generoſo nempe ac religioſo Antonino ſpeciali conſanguineo noſtro, ac Reuerēdo Patri Thomæ è Bisbona, Dominicanis Siculis, in hoc Parthenopeo gymnaſio ſacræ Theologię incumbentibus.

Decimus

Decimus Balduini aculeus.

VLTIMO, librum Prædicamentorum non eſse in Logica neceſsarium probat ex Auerr. qui in Epith.Logic.cap.De rebus compoſitis, dixit quòd quamuis notitia Prędicamentorum adiuuat formationem, tamen non ſunt neceſsaria noſtræ intentioni quam intendimus. Et idem Auerr. aſse rit in fine ſequentis cap.De Prædicamentis.

Improbatio.

Balduini incuria.

Auerrois cōtradictio tollitur.

NESCIMVS quomodo cum Auerr. doctiſſimus iſtę uir propriam audeat comprobare poſitionem, quum Auerr. partes in hoc quæſito de reliquerit, quippe qui non minus quàm cęteri libri Prędicamentorum Interpretes, eundem librum Ariſtotelicum eſse, & in Logica neceſsarium, immo & in eadem facultate primum ſibi uendicare locum conceſserit. Quare, ſi Auerr. ſequitur, confiteatur cum eo librum Prędicamentorum exponēte eundem eſse logicum. Si ab Auerr. circa materiā iſtam deſciuit, illi in epith.logic talem librum nō eſse neceſsarium aſserenti non aſtipuletur. Sed quoniam correpugnantia dixiſse Auerr. ex his colligitur, ne tantum uirum in contradictione relinquamus, dicimus, eundem in epith. log. non abſolutè librum Prędicamentorum non eſse logicum ſeu neceſsarium cōcluſiſse; ſed duntaxat, quòd eorum notitia non eſt neceſsaria intentioni, quam ipſe intendit; atque cum tali conditione in utroque iam adducto loco loquitur Auerr. Ergo ex hoc inferri debet lib. Prædicamentorum non eſse neceſsarium

ceſſarium falſa,ut nobis videtur,eſt huiuſmodi cõ ſequentia. Vel dici poſſet, quòd cùm Auerr. fortè intentio fuiſset de formatione, ideſt, de defitione, ad illam dixit librum Prædicamentorum non eſse neceſſarium; quia ſcilicet prędicamenta propoſitioni ſunt primò neceſſaria, tum verò demonſtratione; at ipſi formationi mediatè conferunt; etſi eandem adiuuent (ut fatetur) pro quanto nempe demonſtratio, iuxta eorum poſitionem, ad definitionem ſeu formationem dirigitur. Et ſic per illa, ultimæ huic Balduini rationi ſatisfactum eſse putamus, & per conſequens alijs omnibus, quibus librum Prædicamentorum, contra vniuerſos Ariſt. expoſitores Græcos, Arabes, & Latinos, quos paſſim Logicaſtres nuncupare non verecundatur; logicum nequaquam eſse demonſtratiuè concluſiſse ſe ipſum perſuaſum, & temerè fortaſsis, reddidit.

Secundum caput huius Apologiæ, in quo afferuntur rationes probantes, librum Prædicamentorum eſſe logicum, et non metaphyſicum.

REVERENDVS Gometius Paganus in proprio hoc Balduini quæſito de libro Prędicamentorum, eiuſdem Bald. ſubſcribens poſitioni, quædam Logicorum adducit argumenta, quibus lib. Prædicamentorum neceſſarium Logices partem eſse oſtenditur, eadem

ſoluturus.

Prima Ratio. Harum prima talis eſt. Illud eſt neceſſarium in arte, quod ſumit neceſſitatem à proprio fine illius artis: ſed lib. Pręd̄icam. ſumit à proprio fine logices neceſſitatem; ergo lib. Prædicamentorum eſt neceſſaria pars Logices. Maiorem probat eſſe Ariſt. pluribus in locis. Minor ex ordine reſolutiuo patet, ſuppoſito, quòd demonſtratio ſit finis logicę proprius: & tunc (ut breuibus utamur) quia demonſtratio non poteſt cognoſci ignoto ſyllogiſmo, neque ſyllogiſmus ignotis propoſitionibus cōſtrui poteſt; hę autem ex terminis ſimpliciſſimis, nempe prędicamentis componuntur; ſequitur igitur librum Prædicamentorum eſſe logicum, tum quoque logicæ facultatis principium.

Reſpōſio Gometij. Ad hanc rationem reſpondens ſacræ Theologię Doctor Gometius, negat minorē, & quòd prædicamenta non ſumunt à fine Logices neceſſitatē, ait. In cuius probatione plures fuiſſe commiſſos errores annotat. Primus error (inquit) eſt; quia ſupponitur finem Logices eſſe demonſtrationem, quod pręſuppoſitum falſum eſſe aſſerit.

Secundus error eſt; quia non clarè exponitur, quomodò ſyllogiſmus ſit neceſſarius ad demonſtrationem.

Tertius error eſt; quia tenetur de propoſitione tractari in libro Periherm. quòd falſiſſimum eſt. Primò; quia Ariſt. neque in primo, neque in ſecundo libro Periherm. propoſitionem definit. Secundò, quia per Auerr, propoſitio eſt pars ſyllogiſmi, ſicut eſt maior, & minor; ſed quemodo ſint partes in lib. Priorum duntaxat Ariſt. docet.

Quartus error eſt, quia aſſeritur, ſyllogiſmum per ſe componi ex enunciatione.

Quintus error; quia dicitur propoſitionem per ſe ex terminis ſimplicisſimis declaratis in lib. Prædica-

dicamentorum componi: cùm per accidens, & nõ per ſe ex prædicamentis conſtituatur propoſitio, & enunciatio.

Sextus error; quia concluditur, in lib. Prædicamentorum agi de ſimpliciſſimis, quibus nihil eſt ſimplicius.

Septimus error; quoniam affirmatur, prędicamenta neceſſariò conſiderari in Logica, ex fine logices: quod eſt falſum &c.

LONGISSIMIS, ornatiſque uerbis hos errores carpit iſte Pater; quos hic breuioribus (ut potuimus) perſtrinximus, nec formaliter Logicorum rationi reſpondet. Nos autem (ni fallimur) credimus, nec minimum ueniale peccatum, omnes errores illos, apud ſuam Paternitatem importare debere. Vnde eos facillimè diluentes dicimus.

Ad primum; quòd tenere demonſtrationem eſſe Logices finem, non eſt ſuppoſitum falſum, quum a pręcipuis Ariſt. Interpretibus Gręcis, & Latinis confirmetur. Quod igitur probabile eſt, & à ſapientiſſimis uiris receptum, falſitatis uitio impudenter traditur. Sed eſto ita ſit, & quòd finis logices non demonſtratio, ſed definitio ſit (ut ipſe eiuſque Balduinus expoſtulant) ex hoc tamen non ſequitur, quin prædicamenta ſint demonſtrationi neceſſaria, ut ex eo reſolutiuo progreſſu clareſcit. At per doctiſſimos iſtos recentiores eadem demonſtratio ad ipſam definitionem, tanquam ad principaliſſimum (ut ipſi imaginantur) totius logicæ facultatis finem, dirigitur; ſequitur igitur adhuc minoris illius propoſitionis, ab ipſis negatæ lucidiſſima ueritas, quòd liber Prædicamentorum, neceſſitatem ſumit à proprio Logices fine. Et qua ratio ne ipſi admittunt, librum Periherm. à fine logicę neceſſitatẽ ſumere (quum eundẽ à logico negocio

non extrudant) & tamen ad demonſtrationem dirigitur, cùm enunciationem doceat, ex qua nanciſcitur demonſtratio propriam conſtructionem: ſic à pari concedere coguntur, Prædicamentorum librum inter logicos eſſe recipiendum; quippe cùm illa, ex quibus enunciatio conflatur, ad Prædicamenta reſoluuntur.

Ad ſecundum errorem dicimus, quòd ſatis extra propoſitum annotatur. Quorſum enim in præſenti tractatione de ſyllogiſmi ad demonſtrationem neceſſitate agitur? Quid ad rem, quęſo? ut interim omittamus, non clarè, ſed clariſſimè fuiſſe enucleatam, quomodo ſyllogiſmus ſit ad demonſtrationem neceſſarius; dum dictum eſt, quòd non poteſt demõſtratio cognoſci ignoto ſyllogiſmo, etiã quòd concedamus eam rationem ita formaliter & ad uerbum fuiſſe à Logicis erectam, ſicuti ab ipſo Gometio tranſcripta apparet. Non enim in præſentiarum ad iſthęc minima deſcendendum putamus; cùm ipſi magis uerbis, quàm ſignificatis animum adhibeant.

Queſtio de nominibus explodẽda. Ad tertium pariter dicimus, hos uiros quęſtiones de nominibus adamauiſſe, parum rebus attendentes: quandoquidem cur aſſerunt in hac reprehenſione, quòd in libro Perihermi. de propoſitione actum non ſit? & item, quòd eadem tractetur duntaxat in libro Priorum? niſi quia nominibus tantùmmodo addicti, maximo propoſitionem ab enunciatione diſtare in terſtitio imaginantur. quas quidem quod differant nomine tantùm, ſi Ioanni Grammatico in principio ſecundi Poſt. ſi Ammonio in lib. Perihermi. ſi Sueſſano, Buranę, ac cæteris in primo cap primi Priorum, alijſque innumeris credere nolunt; adhibeant ſaltem Auerroi, eorum duci fidem: qui in primo Poſt. com. 13. ait, quòd ſcire conuenit, enunciationem, præmiſ-

ſam,

ſam,& quęſitum eadem eſſe ſubiecto; diſtincta tamen ſecundùm conſiderationem. Enunciatio enim uocatur quatenus uerax eſt, aut mendax: Præmiſſa autem, (& aduertas pręmiſſam propoſitionem importare, eidemque æquiualere) nuncupatur, pro ut eſt ſyllogiſmi pars: Quæſitum uerò appellatur, pro ut ignoratur. Addunt etiam in eam claſſem alij doctores, Problema, Inſtantiam, Concluſionem, & reliqua id genus. Quum ergo aſſeritur quòd in libro Periherm. de propoſitione actum ſit; per Propoſitionem Enunciatio intelligenda uenit; quæ cum propoſitione eadem eſt ſubiecto, & ſi nomine ac relatione differant. Verbalis ergo tantùm eſt hęc reprehenſio, & captioſa; & fortaſſe nec uerbalis, quum illi uerba forment, qui correcturi poſtmodum ſunt.

Quartus error ſimili tollitur modo. Quando enim in ea argumentatione dicunt Logici, ſyllogiſmum ex enunciatione componi; idem per enunciationem & propoſitionem intelligendum eſſe arbitrantur, cùm realiter non differant, niſi per accidens; ob aliquem reſpectum ac uarium conſiderandi modum. Sed fortè litera non ut ab hoc doctore tranſcribitur, iacet.

Petitionem facit quintus error, dum dicitur, erroneum eſse propoſitionem per ſe componi ex ſimplicibus Prædicamentorum terminis; ex eo quia ex eiſdem per accidens componitur. Hoc nanque probare debet. At, ſi intelligit, quòd propoſitio ex Prædicamentis non immediatè conſtituitur, condonabimus; quoniam nomina uerbaque ſunt propoſitionibus proximiora, quàm Prædicamenta; & iſthæc illis mediantibus propoſitiones ingrediuntur.

Sextum errorem detergimus per ea, quæ in primo capite affatim ſcripſimus, quòd ſcilicet ſimpliciores ſunt partes ipſa prædicamenta, quàm nomina, quandoquidem in illa hęc reſoluuntur, nec eadem decet repetere, ne fortè lectoribus nauſeam prouocemus.

Septimus quoque error corruit, quoniam & in eo annotādo, corrector adhuc petit. Dicit nāque, erroneum eſſe aſſerere, prędicamenta neceſſariò conſiderari in Logica ex eius fine. Sed qua ratione erroneū eſt hoc, ſilet, lectores ad Herodem remittens. Hic erat principalis rationis punctus, hic debebat laborare Pater, & non friuolos enumerare errores, qui ſimplici aqua diluuntur.

Secunda Ratio. SECVNDA principalis ratio, qua librum Prædicamentorum logicum eſſe defenditur, talis eſt. Illud eſſe uerum & concedendum tanquam uerum, quod dicunt omnes, uel plures, uel ſapiētes. Ex Ariſt. 1. Topic. cap. 1. Sed omnes Ariſt. Expoſitores Græci, Arabes, & Latini, prædicamenta eſſe logices neceſſariam partem concludunt. Ergo verū eſt, ſeu tanquam uerum habendum, quòd liber prędicamentorum eſt in Logica neceſſarius.

Reſpōſio. Ab hac ratione, prauum loquendi vſum accuſans Gometius, ſe expedit. Inquit enim, quòd omnes illi Logici in hoc nō fuerunt Peripatetici, & conſuetudo fuit huius erroris occaſio, &c.

Impugnatio. Et nos dicimus, conſuetudinem illam validiſſimis fuiſſe innixam argumentis, nec poterant grauiſſimi, tantique authores in hoc decipi; immo, quòd recentiores iſti temeritate potius audentes, inaniſque gloriæ cupidi, quàm ueritatis (ut fingunt) zelo, in vniuerſos illos ita immodeſtè inuehuntur.

Tertia Ratio. TERTIA ratio talis eſt; Partes ſimplices ad compoſitionem neceſſariæ ſunt. Ergo liber

Prædi-

Prædicamentorũ eſt neceſsarius ad librũ Periher. & ſic neceſsaria Logicæ pars exiſtit. Valet conſequentia, quia in libro Periherm agitur de compoſito, ſcilicet enunciatione, & in libro Prædicamentorum de ſimplicibus terminis, qui partes enunciationis eiuſdem ſunt.

Soluit hanc rationem Gometius, conſequentiam negando, eiuſdemque probationem, quia falſiſſimum eſse ait, quòd in libro Periherm de ſimpliciſſimis orationis partibus non tractetur, quũ ibidem de nomine, & uerbo agatur, quibus nihil eſt ſimplicius. *Reſpõſio*

Quoniam ſatis demonſtratum eſt ſuperius nomine & uerbo, ſimpliciora eſse prædicamenta ipſa quandoquidem ulteriori progreſsu ad illa reſoluuntur, ideo non nimium circa huius reſponſionis confutationem laborandum eſt, ſed id affirmamus ſolùm, pertinaciam magnam eſſe, nolle intelligere quomodo ad prędicamenta, nomen & uerbum tã quam ad priora principia reducantur. *Impugnatio.*

QVARTA principalis ratio, librum Prædicamentorum logicum eſse probans, ex Diui Thomæ doctrina colligitur, hoc pacto. Sicuti ſe habet prima Intellectus operatio ad ſecundam, & tertiam, ita liber Prædicamentorum ad cęteros Logicæ libros ſe habere debet. Sed prima eſt, & ad ſecundam & ad tertiam neceſsaria. Ergo & liber Prędicamentorum neceſsaria Logicę pars exiſtit. Nanque in libro Prædicamentorum exercetur prima Intellectus operatio, in lib. Periherm. ſecunda, in reliquis uero logicalibus libris tertia. *Quarta Ratio.*

Gometius huic rationi uolens ire obuiam, negat primę Intellectus operationi librum Prędicamentorum reſpondere: ſed vult, quòd in lib. Periherm. de prima, & ſecũda operatione agatur, vnde *Reſpõſio*

S. Doctoris ratio corruit.

Impugnatio. Nec nimium ad improbandam hanc reſponſionem inſudandum eſt; quoniam, præter hoc quòd à uoluntate oritur, nullo adhæret fundamento; ſed ſi tale aliquod daretur, illud eſset, quia in libro *Periherm* ultra enunciationem, de nomine tractatur & uerbo, ad quæ fortè dirigendam eſse primam Intellectus operationem ſibi perſuadet. Sed cùm ſępius repetitum ſit, nomen & uerbum ulteriori donari reſolutione, atque ad ipſa decem *Prædicamenta* reduci, ideo fundamentum illud, ut corruens ac nullum, reiectum intelligatur.

Deſenſio. Vna tamen huius Doctoris apparet defenſio, ab eodem tacta, cùm paulò ſuperiùs ad pręcedentem tertiam rationem reſpondebat; quoniam ſcilicet neceſsum eſt, in eodem *Periherm.* libro, de enunciatione, ac de nomine & uerbo eiuſdem partibus tractari; quandoquidem in eodem libro in quo agitur de toto, in eodem pariter de partibus agi debet. Et ratio huius eſt; quia relatiua non merentur diuerſum tractatum. Quum igitur nomen & uerbum partes ſint, & enunciatio totum; neceſsarium fuit in eodem libro tractari de nomine & uerbo, ac de enunciatione; & conſequenter, unus idemque liber primæ ac ſecundę Intellectus operationi reſpondet.

Confutatio. Sed huiuſmodi perſuaſio non cogit; quia tunc à pari arguere poſsemus, librum *Periherm.* ab eo *Priorum* non debere ſeiungi, ſed unicum duntaxat eſse; quoniam in lib. *Periherm.* agitur de enunciatione, quę eſt ſyllogiſmi pars; & in libro *Priorum* de toto, quod eſt ipſe ſyllogiſmus. Immo ſi (ut iſte Reuerendus aſserit) relatiua diuerſum tractatum non merentur, liber *Priorum* cum illis

Po-

Poſteriorum, Topicorum, & Elenchorum, unicus tantùm eſse deberet, non modò ob eum reſpe-ctum, quo priora ad poſteriora referuntur; ſed quia in libro Priorum de genere agitur, & in reli quis libris de ſpeciebus. Syllogiſmus nanque ſimpliciter ad demonſtratiuum probabilem, & apparentem eo modo ſe habet, quo ad ſpecies proprias ipſum genus, ergo hi omnes libri, unius duntaxat libri nomine claudi deberent, cùm potiſſimùm aſserat idem Gomezius, ob hoc non duo, ſed unum tantùm de genere, & ſpecie caput feciſse Porphyrium, cuius rei ueritas, quomodo ſe habeat, non eſt præſentis ſpeculationis enucleare.

Quoniam autem ducere ad incommodum, non eſt ſoluere; ideo in gratiam iuniorum dicamus, ueram eſse illam propoſitionem, quòd relatiua unico libro tractanda ſunt, hoc eſt, in unica facultate, unica ſcientia, uno eodemque uniuerſali libro. Non enim debet de enunciatione tractari in Logica, & de prędicamentis, quę enunciationis partes ſunt, in Metaphy. ut iſti recentiores ſibi fin gunt. Agitur quidem de corpore, ſiue ente mobili in philoſophia naturali: at de diuerſi eiuſdem corporis partibus, in diuerſis eiuſdem philoſophię libris particularibus. Hoc attamen cautum eſt, ne de aliqua corporis mobilis parte in Logica, ſiue Metaphyſica, ſiue Ethica tractatio habeatur. *Alia confutatio.*

Inſuper dicere poſsemus, quòd quando arguitur, in eodem libro conſiderari debere totùm, & partes: ueritatem hoc habet de partibus eidem toti proximioribus, non item de remotis, & ſic in eodem libro Periherm. in quo de enunciatione agitur, quæ eſt quoddam totum, tractatur pariter de nomine, & uerbo, eiuſdem enunciationis propinquis partibus. Nec ſequitur incon- *Tertia cõfutatio*

inconueniens, quòd de prędicamentis, remotioribus partibus, in alio eiuſdem facultatis libro agatur, eodemque ipſi libro Perihermenias ordine, proximiore. Optimè igitur docuit S. Doctor, quòd liber Prędicamentorum ad primam operationem Intellectus dirigitur, ille autem Perihermenias ad ſecundam, & hęc ſatis.

Quinta Ratio.

Simplicius ante finē præfatiōis li. Prædicamentorū hac ratione pro Achille utitur.

QVINTA ratio, quam conſultò Gometius meliorem cēſuit, ex Ariſt. deſumitur, qui in fine Antepręd icamentorum dixit, quòd ſingula Prædicamenta, ſecundùm ſe in nulla affirmatione dicuntur, uel negatione. Horum autem ad ſe inuicem cōplexione, affirmatio fit, uel negatio, &c. Ac ſi diceret, quòd ſimpliciter ipſa Prędicamenta, & ſolitariè ſumpta, enunciationem non faciunt: at ſi uerbo coaſſumantur, tunc enunciāt cum affirmatione, uel negatione. Ex quo Ariſt. textu infertur primò, quòd Prędicamēta ſunt partes affirmationis, & negationis: ſecundò, quòd cum ipſa prædicamēta faciant affirmationem, & negationem, logicam ingrediuntur conſiderationem, non ſecus ac ipſa affirmatio, uel negatio à Logico conſideratur.

Reſpōſio

Ab ardua hac ratione cit iſſimè ſe extricare cupiens bonus Gometius, aſſerit, quòd ex illis Ariſt. uerbis, non ſequitur prædicamenta per ſe componere, ſeu eſſe enunciationis partes. Et uerum eſt, Prædicamenta eſſe orationis partes, ſed per accidens ſolùm: at nomen, & uerbum ſunt partes per ſe. Et tunc illa concluderet ratio, quando diceret Ariſt. prędicamēta eſſe partes per ſe & immediatè orationis. quod tamen non dixit.

Impugnatio.

Fugam potius, quàm ſolutionem huiuſcemodi redolet reſponſio, dum à diſtinctione per ſe, & per accidens poſcit ſuffragium. Nam unde colligit

iſte

iſte Doctor, quòd Ariſt. dixerit, prædicamenta per accidens facere affirmationem, & negationẽ? Quòd ſi reſpondebit, quia non dixit expreſsè, per ſe id munus exequi prædicamenta, uanum ſatis eſt profectò hoc argumentum; quia nec dixit, per accidẽs. immo ſi modus hic arguendi ualet, dicere adhuc poſsemus, nec nomen ipſum, aut verbum partes propoſitionis eſse per ſe, quia hoc ab Ariſt. in proprijs capitibus non fuit animaduerſum. Sed si quãdo dicit Gometius, prædicamenta eſse partes orationis non per ſe, intelligit eadem partes eſse non propinquas, & immediatas; reſpondebimus ex hoc non ſequi, quòd ſint partes per accidens. nam tũc à pari argueremus, nomen, & uerbum eſse ſyllogiſmi partes per accidens, ſic etiam enunciationem partem per accidens eſse demonſtrationis, quandoquidem propinquæ ſyllogiſmi partes ſunt enunciationes, & immediatæ; nomen autem, & uerbum, eiuſdem remotiores, & mediatę partes ſint, nec tamen aduerſarij ipsi affirmabunt à logica conſideratione, tractationem de nomine & verbo explodi debere. Ita pariter, quamuis enunciationis remotæ partes ipſa decem prędicamenta exiſtant, non tamen ex hoc concludi poterit, eadem logicæ non eſse conſiderationis.

Determinandum eſt igitur, quòd ſi ly, Per accidens, hoc ſub conceptu à Gometio intelligatur, quùm multæ aliæ neceſſariæ logices partes, (ipſo uel teſte) huic intellectioni ſubijciãtur, quæ nihilo minus à logica tractatione minimè reijciuntur; ita quoque de prædicamentis difiniendum occurret, quòd ſcilicet, licèt per accidens enuntiationem componant, non tamen in alia facultate, quàm Logica eorundem perſcrutatio ſedem obtinebit. Veruntamen, ſi per ly Per accidens, intelligit iſte doctor, id quod ꝓpriè opponitur ei quod

eſt per ſe, ſiue quidditatiuè, & eſſentialiter; ac ſi diceretur, decem Prędicamenta enunciationis eſſe partes non eſſentiales, ſed accidentales; hoc (pace ſua) falſiſſimum eſse ſentimus: quandoquidem ſequeretur tunc, ultra alia abſurda hoc abſurdiſſimum: quòd poſsent, abſque prædicamentis enunciationes erigi. Talis nanque eſt natura eorum quæ accidentaliter eueniunt, quòd poſſint illa, quibus iſthęc contingunt abſque eiſdem eſse. At (ni fallimur) idem dictu eſt, propoſitiones ſeu enunciationes abſque Prædicamentis componi poſse, & domos abſque lapidibus conſtrui, eſse poſſibile. Si enim eſsentiales enunciationis partes nomen, & uerbum eſse concedunt; eiuſdem prædicamenta accidentales partes non eſse diffiteri nequibunt: quoniam nominum, ac uerborum eſsentię ab ipſis ſimpliciſſimis principijs, nempe Prædicamentis deriuantur. Quemadmodum quoque humani corporis caput, artus, uenter, pectus &c. partes eſsentiales, ſeu integrales (ne capiamur in uerbis) ſunt: & nullo pacto accidentales, nihilominus corporis eiuſdem humores partes ſunt, & demum elementa, quæ partes per accidens appellare audebit nemo, quatenus accidens ſubſtantiæ opponitur. Ita etiam in propoſito ſentiendum eſt, quòd Prędicamenta ipſa partes eſse enunciationis per accidens, ideſt non quidditatiuè, ſeu ſubſtantialiter, eſt admittere maximum inconueniens; quod longioribus uerbis ſuperiùs, ſoluentes Balduini argumenta, enucleauimus.

Cõcluſio Concludamus tandem, quòd Prędicamentorum tractatio, quæ per Ariſt. in prędaducto loco Anteprædicamentorum, affirmationem & negationem faciunt, ad eam pertinet facultatem, ad quā etiam illa affirmationis & negationis, ſiue affirmatiuę & negatiuæ enunciationis attinet; infertur igi

tur

tur neceſſariò, quòd logicæ conſiderationis Prædicamenta exiſtunt.

Non eſt tamen ſilentio obuolendum; quòd plura Gometius in hac reſpõſione admittit, quæ ſuis, Balduiniq; principijs repugnant. Concedit enim, Prędicamenta partes orationis eſſe; immo & enũciationis, & quòd eaſdem componant, licèt non per ſe, quę nullo pacto concederet Balduinus.

Gometij inconſiſtẽtia.

SEXTA Ratio tenentium librum Prædicamentorum eſſe logicum, hęc eſt. Tractare de nomine uniuoco, æquiuoco, & denominatiuo, munus eſt Logici; quoniam termini ſunt ſecundę intentionis, unde liber Prędicamentorum eſt logicus, & Logices neceſſaria pars, quum multa in libro Periherm. reponantur, quę abſque intelligentia eorum quæ in libro Prædicament. docentur, comprehendi nequeunt, &c.

Sexta Ratio.

Reſpondet ad hanc rationem idem Gometius, cui nimium in hac parte tribuit acutiſsimus commilito noſter, & amiciſsimus Dominus Aſcanius Carbonus Calaber, quòd Ariſt. non definit nomina æquiuoca, ſed res æquiuocas, quod patet ex exemplis ibidem adductis, de homine uero, & homine picto. Nam homo uerus, & pictus conueniunt in nomine hoc .i. Homo, & ſic res ſunt quę in nomine concordant, & non nomina ipſa, quare &c. Atque hoc ad Græcorum expoſitorum mentem relatum eſſe, idem Doctor affirmat.

Reſpõſio

Nulla fulcitur ratione pręſens reſponſio, exemplis duntaxat innixa, quę tamen in doctrina ad maiorem tradendam dilucidationem ſunt uſui, non ꝙ re uera ita ſemper ſint. Sed tranſeat, ut poſcit, dicimus, quòd illa exempla non demõſtrant, res ęquiuocas fuiſse definitas, ſed quoniam (ut ſuperiùs diximus) Logicus non tractat de puris ſecundis intẽtionibus, ſed ut tales adiũguntur primis, ideo poſt

Impugnatio.

aſſignatam ęquiuocorum definitionem, ut oſtendat Magnus Magiſter quomodo traditæ definitionis conceptus, uero conſonans ipſis entibus realibus, & non chymericis correſpondeat, realibus uſus eſt exemplis quę terminorum ſecundæ intentionis fundamenta exiſtunt, quibus ſine omnes Intellectus operationes, ſecundæque intentiones ruerent. Et iam Ariſt. in uniuerſo logico negocio quod circa rationis entia uerſatur, exempla adducturus, ex realibus terminis eadem aſſignat, quod paſſim in libro Prędicamentorum obſeruatum uidemus.; immo etiam (ne talem librum Metaphyſicum eſse denuò inceſsent) in reliquis libris. In libro nanque Perihermenias, in quo omnium conſenſu dę entibus rationis, & non realibus agitur, nomen ubi definiuit, quod quidem terminus ſecundæ intentionis eſt, de equifero exemplificat, & uerbi definitionem comprobaturus ly Sanatur, exemplo vtitur. & orationem definiens, dicit, quòd eius partes ſeparatę ſignificant, ut Homo. & per totum eiuſdem libri progreſſum, quum de enunciationis partibus, ſeu ſpeciebus diſserit, perpetuò his utitur realibus exemplis, Homo eſt animal, Homo eſt albus, eſt iuſtus Callias, &c. ne in re Sole clariore tempus conteramus. Non igitur hinc quiſpiam argumentabitur, quòd, quia realia ſunt exempla, realium pariter entium eſt tractatio.

Gometio adducta teſtimonia contraria. Sed quoniam Reuerendus iſte Doctor, talem reſponſionem ex Græcis excerptam confitetur, quos tamen Græcos oppoſitę opinionis ab iſtis recentioribus eſse, omnibus eſt in propatulo, ideo falſum hoc eſse demonſtremus, quum preſertim Gręcos noſtrę fauere opinioni hinc eluceſcet. Porphyrius enim ſuis in dialogis, ubi in cap. 2. concluſit, quod in libro Predicamentorum, tractatio non

Porphy.

eſt

eſt de rebus, quatenus res ſunt; ſed potius de uocibus,quæ res ipſas ſignificant; ſubdit cap 3. quòd in tali libro, rerum inquiſitio obiter incidit, de uocibus uerò ſignificatiuis pręcipua eſt diſputatio. Quod quaſi contra Balduinũ, eiuſque aſſeclas cap. 4. confirmans,inquit; Qui de decem generibus librum hunc inſcribit,non abſurdè facit, ſi tantum ad relationem, quam uoces ad genera habent, ſpectet;& non principali rationem de decem generibus agi putet. Et uolens hanc Gometij reſponſionem,ceu pręſagiens refellere, cap. 9. quęrens, cur de æquiuocis agit Ariſt. quæ res ſunt, & non de æquiuocatione,quę uox eſt; cùm pręcipua huius libri intentio ſit de uocibus? Reſpondet, eſse hoc, quia dictionis nota in uoce, æquiuocationem nullam facit; ſed res ſunt, quę cum diuerſæ ſint, uno tamen uocabulo nuncupantur. Vnde antequam ſciatur, res eas plures eſſe quę ratione differunt, nulla eſse poteſt ęquiuocatio. *Græcorũ dubitatio & ſolutio.*

Dexippus etiam Platonicus philoſophus, ſed Ariſt. expoſitor,motam eandem à Porphy. dubitationem ſoluens,ait; quòd ex rebus, quę diuerſo modo ſe habent,æquiuocatio dignoſcitur; quare ex quibus primò exiſtit equiuocatio, ea priùs exponit Ariſt. quę dum animo concipiuntur, ſimul dictio quoque, quatenus ęquiuoca conſideratur. Non eſt ergo ita temerè ſecundum Gręcos concludendum, quòd æquiuocas res definierit Ariſt. non autem uoces ſeu dictiones, de quibus idem Dexippus lib. primo quæſtionum in prædicamenta, prope finem cap. 3. dicebat. Non ipſæ res prædicamenta ſunt,ſed dictiones, quæ notiones & res ſignificant. *Dexippus.*

Simplicius quoque, qui in Prædicamentorum præfatione ſæpius repetit, quòd in illis,non ſit de *Simplicius.*

enti-

entibus intentio, ſed de uocibus ſignificantibus res, quatenus ſignificatiuæ ſunt, æquiuócorum definitionem exponens, eandem à Porphy. & Dexippo tactam difficultatem diluens, quare de æquiuocis, & non de ęquiuocatione loquitur Ariſt. ait, quòd à rebus æquiuoca manifeſta fiunt. & poſtmodum ſubdit, quòd ideo Ariſt. dixit æquiuoca dicuntur, & non æquiuoca ſunt, quoniam non de rebus ipſis ſermo eſt, ſed de ſignificatiuis dictionibus.

Boetius. cui Diuus noſter Boetius ſubſcribens, aſſerit (ut reliquos multos eoſdemq́ue clariſsimos omittamus Latinos interpretes) Aequiuoca ipſa, dicuntur, ſed non ſunt.

Ammonius. Ammonius inſuper, cui fortè in libri Prędicamentorum expoſitione, primæ partes non immeritò tribuendę ſunt, prope præfationis finem quærens, cur Prędicamentorum tractationi quædam pręponit Ariſt. quę Anteprædicamenta appellantur, inquit: Quoniam futurum erat, quòd in Prędicamentorum doctrina, dictiones quaſdam, aut uoces nobis ignotas commemoraret; ideo de ijs primùm docet &c. Ecce qualiter etiam Ammonius tenet, æquiuoca, atque cætera prędicamenta, non quatenus res, ſed dictiones ac uoces fuiſse ab Ariſt. definitas. A quonam (quæſo) igitur Gręco expoſitore interpretationem illam uenatus eſt bonus Gometius? quum hi, quos recenſuimus, inter celebriores Ariſt. expoſitores connumerandi ſint, qui potiſsimùm Prędicamentorum tractatum commentati fuerint. Cæterùm neque ratio ab ipſa rei natura deſumpta, æquiuocas res, & non dictiones deſcriptas fuiſse perſuadere ualebit; quandoquidem ęquiuoca entia, eademq́ue realia dari, nullum eſt argumentum quod probet, aut ſenſus qui indigitet; ſed intellectus eſt duntaxat, qui communiones, ac differentias circa rerum nomina, ſiue

rationes apprehendens;tum ex formato conceptu, ac diſcurſuq; , hæc uocat uniuoca; illa uerò æquiuoca &c. non quòd huiuſmodi talia realiter exiſtentia reperiantur , quod bellè declarans ſolertiſſimus Simplicius,poſitionem hanc noſtram diſertè confirmat,aſſerens ; Non enim æquiuoca , & uniuoca per ſe ipſa talia ſunt;ſed fiunt talia, quoties intelligentia eorum qui diſputant , & res nominant , uariatur, permutaturque &c. Fauet quoque nobis Boetius,quando inquit, res per ſe ipſas æquiuocas non eſſe,niſi uno nomine prædicentur.Quid igitur ſibi uelit hic Reuerendus Balduini ſectator, nos colligere non poſſumus . Itaque ſatisfactum ſit huic reſponſioni,quam ad ſextam rationem afferebat;& conſequenter ad omnes alias,quas contra noſtræ opinionis authores, eorundemque argumenta in medium adduxit.

Simplicius. ,, ,, ,, *Boetius.*

Illud tamen unum obliuioni tradendum non eſt,quòd nec ipſe Auerr. horum recentiorum dux, huic de equiuocis expoſitioni fauet ; quandoquidem Antepredicamentorum intentionem declarans inquit, eadem quinque capitulis compleri in quorum primo, ideſt de æquiuocis , Ariſt. narrat diſpoſitiones quaſdam entium, in eo quòd ſignificantur per dictiones. Et rurſus in Epithom.logic. ait . Aequiuoca ſunt nomina quędam, quorum ſingula ſignificant rem pluſquàm unum,&c. Pariter de uniuocis aſſerit,quòd ſunt nomina ſignificantia ſuper unam rem , communem pluribus rebus ſpecie,uel numero . Gręci igitur , Latini , & Arabes unanimi conſenſu affirmant , non res ęquiuocas , ſiue uniuocas ab Ariſt. in Antepræadicamentis definiri;ſed bene nomina , ſiue uoces , ſiue dictiones quatenus entia rationis ſunt,quę realia ſignificant.

Auerr.

Vltra iam aſſignatas ab iſto Doctore rationes, librum Prædicamentorum probantes , eſſe logicum;

Prima ratio no-

ſtra ad principale. poſſemus,& nouas nos noſtro(ut credimus) Marte,ad eandem intentionem erigere; quarum prima,quæ eſſet numero ſeptima talis eſt; Vnius rei, unico modo conſideratæ, ac ſub unica ratione formali,tractatio, ad unam debet pertinere facultatem, & non ad plures eaſdemq; uarias; ſed decem Prędicamentorum tractatio, ſub ratione qua entia ſunt, quoniam ad Metaphyſicum pertinet, in quinto Metaphy. habita eſt; Ergo eorundem ſub eadem ratione formali, non debet in alio libro haberi tractatio; quòd ſi habetur,erit ea ſub alia conſideratione ab illa quinti lib. Metaphy. Tam maior, quàm minor probatione non indigent, cùm per ſe pateſcant. Sequitur igitur, quòd cùm de eiſdem Predicamentis in proprio dicato opuſculo quod logices organo ſolet annecti, agatur; ꝙ non ſub illa conſideratione quinti Metaphy. tractetur, ſed ſub alia. Talis eſſe non poterit, eſſe niſi logicalis;quoniam ſi in Metaph. quatenus ſunt entia realia, in hoc opuſculo quatenus ſunt entia rationis conſiderari debent. & ſic tandem lib. Prædicamentorum inter logicos enumerandus accedit.

Secunda Item et octauò; Inſcriptio operum præſertim Ariſtotelicorum, ut plurimùm, à rebus tractatis ſubiectiſq; elicitur; ſed hæc inſcriptio de Prædicamentis,entibus intentionalibus,& non realibus alludit; ergo conceptus rerum, ut ſic tractatarum intentionibusque ſubiectarum, ueniunt in conſiderationem logices.Maior eſt ueriſſima, cùm præſertim limitata ſcribatur. Minor etiam patet, quoniam, ut ex Grecorum expoſitionibus docti euadimus, quando hæc dictio Categoria diceba-

Prædicamentum quid. tur,quæ apud nos Prędicamentum importat, acuſationem prius ſignificabat. Ariſt. autem primus fuit,qui dictiones res ſignificantes(quas diſertiſſi-

mè

mè Porphyrius & Dexippus denuncupationes ap pellant)eodem nomine Categorias,ideſt,*Prædica* menta nuncupauit. Quo circa, Prædicamentum denotat ſignificatiuam ſimplicem dictionem, quæ de ſignificata re enunciatur;quę ſimplex dictio(ut Dexippo placet)ad genera,ſpecies, & omnia uniuerſalia ſe extendit, quæ de ijs quæ ſub ipſis ſunt, dicuntur & prędicantur,quamuis ad mentem Ammonij, ac Simplicij, ea tantùm dicantur prædicamenta, quę generaliſſima genera ſunt, & quę prædicantur duntaxat de his quę ſub ipſis ponuntur, nunquam uerò ſubiacent, licèt exponentes quartũ Anteprędicamẽtum dicant, quod largè ſtet pro uoce,conceptu,& re. quæ poſitio magis uidetur ad aures Ariſt. aſſignata,quàm prior, magiſque propoſitę inſcriptioni huius libri accomodetur. Sed ſit utcunque, illud pro ueriſſimo affirmatur, quòd nomen hoc,Prædicamentum, quo huius libri titulus inſignitur, ſecundam redolens intentionem, inter entia rationis enumeratur, quapropter & in eorundem entium claſſem,ea quæ in tali libro perſcrutantur lectores,referenda ſunt, ut ratio iſthęc ſuadet.

Adhuc;Si liber Prędicamentorum inter Logicos recipiundus non eſt,nec etiam inter Metaphyſicos collocari poterit. Probatur conſequentia; quandoquidem de decem Prædicamentis, quatenus entia realia ſunt,iam in ſcientia Metaphy. diſputatum eſt nimirum in quinto eiuſdem doctrinæ libro.In quo ergo loco collocabitur? reponemus ne illum, ut à Logica reiectum in philoſophia naturali,an morali? Dicent, ſeipſos ab omnibus rationibus extricantes fortaſſe,eum non eſſe legitimam Ariſtotelis fœturam? At phraſis ueræ Ariſtotelicę ſeries,tantę obſiſtet hęreſi, nec uetuſtiſſimorum expoſitorum adhuc etiam Græcorum monu- *Tertia.*

mēta,teſtimonia,traditioneſque quę ad hęc uſque ſecula perſeuerant,ad nouiſſimum uſque diem duratura,talem ſufferent calumniam.

Quarta. Inſuper ſubſtantiæ in primam ac ſecundam diuiſio, eiuſdem tractationem logicam eſſe manifeſtat,cùm intellectus ſit,qui hanc prioritatem& poſterioritatem operetur. Similiter utriuſque ſubſtantiæ definitio, ſic etiam omnia, quæ tum de illis, tum de alijs Prædicamentis enunciat Ariſt. in toto operis diſcurſu, idem argumentantur; quorum,quia nos non contemnendum ſermonem ſuperiùs, quùm ad ſecundam Balduini rationem in oppoſitum reſpondebamus fecimus, illuc lectores ablegantes,hic ſylentio contentamur, et nonæ ſufficiat rationis tetigiſſe fundamentum.

Quinta. Amplius. Multa in Anteprædicamentis habentur,quæ hanc opinionem confirmant. Omittantur nunc ea, quæ ex primis capitibus nempe de ęquiuocis,uniuocis &c.poſſunt colligi, quando de ijs in ſexta ratione diſputatum ſit, nonne in ſecundo cap. dicit., Eorum quæ dicuntur, alia quidem ſecundùm complexionem dicuntur, alia &c. Vnde per ly, Dicuntur,uoces uoluit intelligere Ariſt. eaſdemque ſignificatiuas, & nullo pacto res.

Obiectionis ſolutio. Sed dubitari poteſt, quoniam Ammonius aſſerit,quòd hoc uerbum,Dici,in rebus, & conceptibus,& uocibus quadrat, ergo non uocibus duntaxat.Tamen cum eodem Ammo. reſpondere licet, quòd uaria ratione tria illa habent hoc,ut dicantur. Res enim dicuntur,quaſi ſignificentur;conceptus dicuntur,quaſi enuncientur;uoces autem dicuntur, quaſi proferantur. Ex quo patet, quòd propriè res non dicuntur, niſi pro quāto à tali dictione ſignificantur, ſiue uoce, cui quidem uoci uerè Dici,competit;nanque Dici, ut ſic, Proferri ęquiualet.

Res, conceptus, & uoces dici.

ualet. Clariùs autem id patet per ſubſequentia Ariſt. uerba, quòd ſcilicet cum complexione quędam dicuntur, quædam uerò ſine &c. Vnde confirmans hęc Ammonij diſcipulus Simplicius ait, conuenientius eſſe, ut per ea quę dicuntur Ariſt. intelligat dictiones ſignificatiuas, ut ſignificatiuæ ſunt; quoniam *Prædicamenta*, neque res ſunt, neque conceptiones, neque dictiones, ſed ſunt dictiones ſignificatiuę rerum, per medios conceptus. Et hæc erat intentio libri Prædicamentorum ad mentem Ammonij, ut prope principium huius tractatus notauimus. Ab huius poſtmodum Antepręjdicamenti ſic expoſiti diuiſione, decem ipſa *Pr*ędicamenta exoriuntur, ut ex ultimo Antepręidicamento claret; ubi habetur, quòd eorum quę ſecundùm nullam complexionem dicuntur, unumquodque aut ſubſtantiam ſignificat, aut quantum, aut quale, aut ad aliquid &c. Vnde patet, quòd *Pr*ædicamenta, ut dicuntur, ideſt, ut uoces, dictionesq́; ſunt, conſiderantur. *Simplicius.* ,, ,, ,, ,,

Dubitatio ſollitur.

Poteſt tamen hìc quiſpiam obijcere, de illis uerbis quæ paulò pòſt ſubiungit Ariſt. inquiens, Eorum quæ ſunt &c. Ex quibus uidetur, quòd non de dictionibus, ſed de entibus agat. Attamen reſpondebimus, quòd (quemadmodum ſępiſſimè repetitum eſt) intentio libri *Pr*ędicamentorum eſt de uocibus ſignificatiuis, quatenus tamen in rerum quædam genera referuntur; non quòd principaliter res ipſæ conſiderentur. Vnde hanc fortaſſis obiectionem tollens Ariſt. res non enumerauit, quatenus res ſunt, dicens, Eorumquæ ſunt, quædam ſunt ſubſtantia, quædam accidens, &c. ſed protinus modum conſiderandi logicum eorum quæ ſunt; inſinuauit, dicens; Alia de ſubiecto aliquo dicuntur, & in ſubiecto non ſunt: alia in ſubiecto ſunt, &c. Vnde rerum concep

Ariſt. intentionem non eſſe de nominibus abſolutè, ſed ut conceptas res ſignificant; modò in multis uarijsq; multiuocorum dictionibus non multæ, ſed una tantùm res ſub uno ſimplici conceptu repræſentata denotatur. quarum dictionum ob hoc conſideratio ad Grammaticos pertinet: & tanti eſt hic reſpectus quem ad res dictiones ipſæ habent, quòd idem Ammonius in cap. De ijs quæ dicuntur, dicit, non ex uocum ſimplicitate aut compoſitione, res ſimplices aut compoſitas æſtimari: & ſi uoces ipſę compoſitę ſunt, ſimplicem tamen rem ſignificent, ſimplices appellandę ſunt: & ſi ſunt ſimplices & compoſitam ſignant rem, compoſitæ ſunt dicendę.

Logicus à Grammatico in nominum conſideratione quomodo differt.

Hinc diligenter notandum eſt diſcrimen quod inter Grammaticalem & Logicalem circa nomina conſiderationem exiſtit; eiuſdemq; diſcriminis fundamentum; quòd ſcilicet purè uoces contemplet ur Grammaticus; ut autem ad res, quibus innituntur, habent reſpectum, Logicus. Omnes igitur obiectiones, quæ contra hanc determinationem oriri poſſunt, quibus de rebus in libro Prędicamentorum agi contenditur, ita diluendæ ſunt, & cum Boetio doctiſſimo dicendum; quòd res ſemper cum propria ſignificatione coniunctæ ſunt; & quicquid in res uenit, idem in rerum uocabulis in uenitur; ideo Ariſt. diſputans proprietatem ſignificantium uocum, de his quæ ſignificabantur, ideſt, de rebus aſſumpſit. Quotquot igitur rationes, ſiue authoritates occurrent, quibus aliqua poſſemus perſuaſione duci ad credendum, quòd de rebus in libro Prędicamentorum agatur, ita exponendę ſunt, quòd ſcilicet de uocibus tales res ſignificantibus, tractetur, adeò quòd perpetuò (ut breuibus expediamur) uoces ut ſignificatiuę, res autem ut ſignificatę interpretandę ueniant.

Cõcluſio.

CAPVT TERTIVM DE QVIBVSDAM QVESITI APPENDICIBVS.

Confutatio, eorum quę in calce huius Quæſiti affert Balduinus, quòd liber Prædicamentorum non ſit prima ſede locandus in Logica.

VTITVR iſte acutiſſimus Doctor, ad oſtendendum lib. Prædicamentorum non debere cæteros libros Logices præcedere, ſimplici medio, quod eſt tale; Si liber Prædicamentorum eſſet primus in Logica, hoc eſſet aut ex neceſſitate, aut ex bonitate doctrinę, aut quia cęteris logicis eſſet nobilior; ſed nullo trium iſtorum modorum pręcedere debet; ergo in primo loco reponi non debet.

Quamuis huic aſſignatæ ſufficientię obijci poſſet,& quòd alio ab his modo doctrinę proceſſus ordinari queat; ne multis nos attamen uagemur, dicamus ſicuti ex iactis noſtrę poſitionis principijs dicere cogimur, quòd iſte liber ex neceſſitate debet Logices cæteris anteire. Hoc eſſe non poſſe arguit iſte Doctor ſic: Id præcedit de neceſſitate aliud,quod illius eſt cauſa, ſed Prędicamenta non ſunt cauſa eorum,quę in logica conſiderātur. ergo liber Prędicamentorum non pręcedit ex neceſſitate.

Falſam

Falſam eſſe huius ſyllogiſmi minorem affatim in præcedentibus eſt exaratum, cùm pręſertim in ſecundo capite tertiam tuebamur rationem, probantem lib. Prædicamentorum eſse logicum. Nam licèt ipſe Balduinus aſserat, nomen & uerbum eſsę ſimpliciores enunciationis partes; nos tamen probauimus hoc non eſse uerum, quoniam nomen & uerbum ulteriùs ad Pręedicamenta ipſa, tanquam ad ſimpliciora principia reſoluũtur; quia, ut accuratiſsimè ait Ammo. prepoſitiones ſine nominibus & uerbis eſse non poſsunt; nam ex ijs compoſitę ſunt. At nomina & uerba citra ſimplices uoces eſse nequeunt, quoniam nomina, & uerba ſignificatiuæ uoces ſunt; ideo de ſimplicibus uocibus prius iure diſseritur. Et quãuis horum Authorum teſtimonia tanquam aduerſæ opinionis fautorum, à Balduiniſtis minimè recipiantur, argumenta tamen quibus ipſi mouentur, refellere non poterunt, & eruditioribus lectoribus non diſplicebunt. Hoc clarius edocet Simplicius, probans, quòd demonſtratiui ſyllogiſmi reſolutio ad nomina & uerba non terminatur; inquit, quòd hęc præcedit ſimplicium uocum ſpeculatio. Nam cùm homines, res ipſas ſignificaturi eſſent, impoſuerunt huic rei tale nomen: & illi aliud tale; & ſic tunc nomina omnia, uocesq; dicebantur. Poſtmodum uerò diſcrimen factum eſt, quo alia ſubiecta, alia prædicata appellarentur: & alia tempus, alia non tempus ſignificarent; hinc igitur ſimplicium uocum tractatus, qui eſt liber Prædicamentorum, pręit; & ab ipſis initio ſumpto, ad orationes ſyllogiſmos &c. procedit. Vnde quærens diuus Boetius in Pręedicamentorum præfatione, cur Ariſt. in eo libro orationem ipſam in decem Prædicamenta diuiſerit, & in libro Perihermenias in duas duntaxat partes; nimirum in nomen, & uerbum; ſoluit

Prædicamẽtorum neceſsitas.

Ammonius.

Simplicius.

Vtilis dubitatio.

primum, niſi ea quam in fine huius quinti quæſiti appoſuit, & iamiam nos confutauimus, quòd ſcilicet uel eſt primus ordine ſecundùm neceſſarium, uel ſecundùm melius nobilius, uel ſecundùm melius facilius ſeu notius. Sed primo & tertio modo lib. Periherm. primus liber in Logica eſt, ſecundo uero liber Poſteriorum, ergo liber Prædicam. nullo modo. Nos reſpondemus pariter ut reſpondebamus, quòd ordine ſecundùm neceſſarium lib. Prædicam. eſt prior, ratione infinities repetita, quam, quoniam rationabiliter diruere neque Balduino neque eius aſſeclę hucuſque licuit, pro noſtrę poſitionis munimine, ac ueritatis elucidatione uſui noſtro ſemper accomodabimus eandem.

De libro Prædicabilium.

Verùm tamen conticere non poſſumus, quin dicamus, hunc Doctorem falſam quandam opinionem Latinis impingere. quum aſſerat ſubſtinuiſſe illos, librum Prędicabilium Porphyrij eſſe primum in logica, quod quidem placitum nec illos ſomniauiſſe credimus. Nec ueretur dicere omnes ferè Latinos antiquos, & modernos, in illam deſcendiſſe ſententiam; ut nec quidem Latinorum Principem, Doctoremq; Sanctum ab hac infamia ſecreuerit; ſed quomodo (quæſo) potuere unquam tanti uiri in huiuſmodi uecordiam incidere, quandò ex tali opinione diminutum fuiſſe Ariſt. talem prædicabilium tractationem prætermittentem apertiſſimè concluditur? Cæterùm, ſi de magno Alberto poſſent aliqui dubitare, ſi eius dicta intimiùs hi perſcrutabuntur, neceſſitatem quam libro Prędicabilium attribuit, potius utilitatem magnam arguet, quàm neceſſariam neceſſitatem, immo nec ipſe libri author Porphyrius, licèt dixerit, & eius opus ad Prædicamenta Ariſt. neceſſarium eſſe propoſuerit, abſolutam intellexit neceſſitatem.

ſitatem. Sed ſi fortè aliqui ſunt quibus illa placet opinio;hi non minus autumare poſſent,tractatum de octo partibus orationis, eſſe primum il logica; quippe qui multùm ad doctrinam Porphyrij de prædicabilibus intelligendam conducit. Tenemus igitur,quòd ſi fortaſſis ex Latinis aliqui dixerunt, lib. Prædicabilium eſſe primum in logica; hi ſanè lib prędicamentorum intellexerunt; & quoniam huic ille maximopere confert; ideo illum præpoſuerunt. Quod quia cunctis perſpicuum exiſtimamus, circa hæc non amplius laborabimus. illud pro Latinis ſufficiat,quòd eorum Princeps neceſſarios logices libros enumerans, ad quos intellectus tres operationes ex neceſſitate ordinantur; nullam libri Prędicabilium mentionem habuit. dicat quicquid uelit Dominicus Flandrenſis ſuper fallaciarum opuſculo.Duas ulteriùs adducit in eodem quæſito Balduinus rationes ad aures illorum qui ſubſtinent librum Prędicamentorum eſſe primum in Logica;quas poſtmodum ſoluit. At,quoniam tales ſolutiones ſupponunt Prædicamenta per accidens enunciationis compoſitionem ingredi; quod falſiſsimum eſſe ſuperiùs declarauimus, quando reſponſionem aſsignatam à Gometio ad quintam rationem,probantem librum Prę dicam. eſſe Logicæ neceſſariam partem confutabamus:ideo rurſus circa eadem immorari, eruditas lectorum aures eſſet obtundere.

Finem

Finem logici negocij, Definitionē non eſſe. unde falſum eſt Domini Hieronymi Balduini quoddam ſuppoſitum in hoc quæſito admiſſum.

IN hac eadem queſtione de libro *Prædicamentorum* rationem quandam numero ſextam, eundem librum non eſſe logicum concludentem, uolens eruditiſsimus Balduinus erigere; habuit pro ſuppoſito, finem negocij logici Definitionem eſſe; ad quam tam ipſam demonſtrationem quàm cætera in logica conſiderata ordinari concluſit. Nos uerò, quando huius argumentationis uim diluebamus, ſuppoſitum concedentes illud; in hoc loco falſum illud eſſe, declaraturos nos ipſos pollicebamur; quod & complere intendimus. Attamen mens noſtra non eſt uel oſtendere demonſtrationem eſſe Logices finem, uelque talem finis rationem abſolutè Definitionem ſibi non uendicare: hoc enim (Deo duce) fortaſsis aliàs, opportunius nacti ocium, perficiemus; ſed demonſtrabimus duntaxat, rationis quibus ad hoc ſubſtinendum Balduinus utitur, nullius eſſe momenti contra Græcos, & Latinos, ut ipſe proponit; & quòd inde non ſequatur, librum *Prædicamentorum* non eſſe logicum; cuius oppoſitum ſubſtinere noſtra precipua fuit intentio. Verùm illud notandum eſſe ducimus, quòd Balduinus in hoc quinto quæſito teſtatur; in alio queſito nempe tertio, probatum fuiſſe definitionem eſſe finem Logices; ibi tamen hoc non intenditur; ſed probatur duntaxat, definitionem eſſe nobilius inſtrumentum ſciendi, quàm demon-

Digreſſio in tertium Balduini quæſitū, de nobiliore inſtrumento ſciēdi.

Balduini ſocordia.

monſtratio, ſeu quoduis aliud. Modò credimus, aliud eſſe dicere, definitionem eſsę totius Logicea finem, ad quem omnia conſiderata ordinantur; & aliud dicere, definitionem eſse nobilius inſtrumentum ſciendi, alijs in Logica conſideratis. Nam principalius ac nobilius in libro de Anima, immo in uniuerſa de animalibus tractatione, intellectiuam animam eſse, conſideratum putamus; attamen illa finis totius tractationis illius, ad quam cætera conſiderata diriguntur, non exiſtit. Pariter Deus benedictus, ac ipſę Intelligentiæ entia ſunt nobiliſsima omnium quæ in libris Metaphyſicæ conſiderantur; nihilo tamen minus non ęquè ab omnibus recipitur, eadem eſse finem illius ſcientiæ, ad quem omnia ibidem tractata ordinentur. Sed rem hanc clariùs intelliget qui librum Phyſicæ auſcultationis comtemplabitur. Digniſsimum enim inter cętera ibidem tractata primum motorem eſse, ac nobiliſsimũ, nemo inficiabitur; qui ueruntamen finis, ac omnium in eo opere conſideratorum ſcopus non erit. At iſthęc omittentes ad propoſitum reuertamur. Volens iſte Doctor (ut præfati ſumus) demonſtrare, definitionem eſse nobilius inſtrumentum ſciendi, duabus utitur rationibus (ut dicere ſolet) demonſtratiuis.

Prima Bald. ratio quòd definitio ſit nobilius inſtrumentum.

Prima ratio talis eſt; Illud inſtrumentum eſt perfectius, ad quod omnia habent attributionem; ſed ad definitionem omnia in Logica conſiderata attributionem habent; ergo definitio nobilius inſtrumentum eſt quàm demonſtratio, & quæcunque alia ibidem conſiderata.

Secunda.

Secunda ratio hęc eſt. Illud inſtrumentum nobilius cæteris eſt, quod ea excedit aliquo iſtorum trium modorum, aut nobilitate ſubiecti, reiq́ue ſcitæ; aut certitudine demonſtrationis, medijq́ue; aut ratione ſeparationis à materia. Sed definitio

omni-

omnibus his tribus modis demonſtrationem excedit, ergo definitio eſt nobilius ſciendi inſtrumentum quàm demonſtratio, & alia inſtrumenta in Logica habita.

Verbis plus æquo prolixis, multiſque paginis, maiorem, ac minorem hujus ſecundę rationis nititur uir iſte probare; quę tamen licèt uera ſint, propoſito quum non faciant, derelinquantur. Nos tamen reſpondentes dicamus, quòd neutra iſtarum rationum infert explicitè, uel implicitè, librũ Prædicamentorum non eſse logicum, iuxta eiuſdem Balduini intentionem, has rationes in quæſito de libro Prædicamentorum allegantis, quia uel definitio, uel demonſtratio ſit nobilius inſtrumentum, ſemper lib. Prædicam. erit neceſsarius, qui ad librum de interpretatione ordinatur pro neceſsario, ut ab omnibus receptum eſt, ſicuti ſuperius exaratum eſt. Rurſus dicimus, priorem rationem nullam eſse, quoniam eiuſdem minor in doctrina Auerrois fundatur, qui à ſubſtinentibus oppoſitum recipi non debet. Nulla enim lex cogeret, quòd aduerſę partes authoritas pro deciſione, ac diffinitiua ſententia admittatur. Quùm igitur iſte Doctor, cum uno Auerroe contra omnes Græcos, & Latinos, eoſdemque grauiſsimos authores huiuſmodi quęſtionem aggrediatur, quo modo, aut quo iure, ex eodem Auerr. adductũ teſtimoniũ, ijs qui oppoſitas tuentur partes, poterit obeſse? Sed eſto, ſit concluſum, ut ipſi imaginantur & cupiunt, & quòd demonſtratiuè ſit probatum, definitionem eſse demonſtratione nobilius inſtrumentum; non tamen hinc ſequetur, de definitione, ut ſciendi eſt nobilius inſtrumentum, in ſecundo libro Poſteriorum fuiſse tractatum. Hoc ab ipſis probandum erat; quandoquidem quotquot ſunt Ariſt. expoſitores, in ſecundo Poſter.

Confutatio.

de

Communis de ſubiecto libri Poſt. poſitio.

de definitione tractari conceditur. Verùm communis eſt opinio Græcorum, ac Latinorum omnium; quòd de definitione agatur ibi ſub ratione qua ipſa eſt demonſtrationis medium; & non qua eſt notabilius ſeu ignobilius ſciendi inſtrumentum, quemadmodum cum ſolo Auerroe iſte doctor imaginatur. Communis eſt omnium poſitio, quòd ſubiectum logices ac finis, ſit ipſa demonſtratio; ad quam tanquam ad ſcopum ſingula quę in ea conſiderantur facultate, actionem habent; & conſequenter exigitur, quòd ſecundus liber Poſt. ad uniuerſalem illam intentionem, de demonſtratione ſcilicet, dirigatur; cùm & ipſe inter logicos enumeretur. Quum ibi igitur de definitione uerba faciat Ariſt. quæ demonſtrationis medium eſt; ſequitur etiam, quòd ipſa definitio, gratia demonſtrationis ibidem conſideretur; & non ut inſtrumentum eſt ſcire faciens. Et ratio huius eſt, ut Euſtratio Græco Ariſt. expoſitori, uiroq; doctiſſimo placet; quoniam in demonſtratiuo ſyllogiſmo oportet medium eſſe cauſam non tantùm concluſionis, ſed etiam rei; quod alijs ſyllogiſmorum ſpeciebus non contingit. Oportebat igitur (inquit) ex neceſsitate dicere de medio tali demonſtrationis; qui tractatus mirum in modum neceſsarius ab Ariſt. omittendus non erat. Vlteriùs aſſerit, quòd de definitione ſub alia conſideratione ab ea qua demonſtrationem reſpicit, tractatione, eſset titulo, quem his libris impoſuit Ariſt. repugnare, non eſset ipſius intentio reſolutiua, ſed definitiua. Quum autem reſolutiua, & definitiua inſcriptio diuerſæ inter ſe ſpecie ſint, in definitiuæ ſcientię traditione, reſolutiuam inſcribere, irrationabile eſset. Nulla igitur, cùm de definitione, uel de termino fiat inſcriptio, de definitione ſimpliciter, in ſecundo Poſt. non agitur.

Prima ratio qui in ſecundo Poſt. agatur de medio. Euſtratius.

Secunda.

Amplius,

Amplius, ut ex Romano Aegidio colligitur, eiuſdem facultatis eſt conſiderare factionem ſeu generationem demonſtrationis, & tradere potentiam ſeu facultatem faciendi ipſam demonſtrationem, iuxta illud Ariſt. in primo *Priorum*, quòd non ſolùm oportet generationem ſyllogiſmorum conſiderare, ſed habere potentiam faciendi ſyllogiſmos. Cùm igitur in primo lib. *Poſt.* determinatum ſit de generatione, ideſt, compoſitione demonſtrationis, quomodo, & qualiter fiat: docendum remanebat, quomodo principia, & media ad demonſtrandum haberi poſsint, quod in ſecundo *Poſt.* perficitur. Hanc autem eſse Ariſt. intentionem, eiuſdem proceſsus in eo libro ſuadet, ubi de medio tractat, et cuius occaſione quæſita inueſtigat. Et cùm quatuor ibi proponat quęſtiones, in unaquaque illarum (ut aſserit Philoponus) de medio fit mentio. Vnde idem Philoponus concludit, quòd in ſecundo Poſt. de definitione per accidens agitur, per ſe autem de ea, ut de cauſa, & medio demonſtrationis. Adde, quòd & nos huic inhęrere poſitioni arcta perſuaſione ſemper coegit. ſi de definitione in ſecundo Poſt. ageretur, & (ut iſti recentiores aſserunt) ut eſt quoddam ſciendi inſtrumentum cæteris omnibus pręſtantius, ac nobilius, ad quod tandem omnia in Logica conſiderata, ordinata ſunt, & directa; quare magnus Magiſter ſaltem in proœmio Analyticorum librorum, nullam habuit de definitione mentionem, ſed tantùm demonſtrationem propoſuit, ac ſi illa totius negocij ſcopus eſset, atque finis, aſserens; Primùm dicendum circa quid, & de quo eſt intentio, quoniam circa demonſtrationem, & de diſciplina demonſtratiua eſt. Deinde &c. ęquum certè erat (ut arbitramur) uel alterum addere uerbum, quod definitionem ut puta nobiliſsimam omniū

Tertia. Aegidianus. *Quarta.* *Philoponus.* *Quinta.*

conſideratorum,& principaliſsimum ſuæ intentionis finem, aliquo pacto inſinuaret: quod prorſus neglectum fuiſse liquet.

Alia reſpōſio ad rationes Bald.

Poteſt idcircò rurſus ad illas ambas Balduini prętactas rationes reſponderi, quòd bene concludunt definitionem ipſa demonſtratione, ac cęteris in Logica conſideratis eſse longè præſtantiorem; non tamen inde ſequetur, eandem in ſecundo Poſt. quatenus inſtrumentum eſt ſciendi, fuiſse contemplatam; non enim illis rationibus aliqua elucet perſuaſio, quæ hoc ipſum inferat. Tenemus igitur nobiliſsimam eſse definitionem, ſed in ſecundo Poſt. quatenus demonſtrationis principium eſt & medium, perſcrutatam fuiſse. unde (ni decipimur) uniuerſus in tertio eo quæſito, Balduini labor corruit. nobilitatem nanque definitionis probat, ſed illam ut inſtrumentum eſt ſciendi in ſecundo Poſt. non concludit inquiri.

Quid Alex. & Linconienſis ſenſerint de ſecundo Poſt.

Ne tamen abſque uehementi ratione illud de definitione dogma placuiſse Auerroi, hiſque recentioribus iudicemus, ut interim de Alexandri opinione nihil affirmemus, quando nonnulli ſentiant ipſum Auerrois poſitioni fauere (ut dilucidator Sueſsanus teſtatur,) & Euſtratius referat, Alexandrum dixiſse tantùm de definitione doceri, quantum ad demoſtrationem attinet, quod pariter de Linconienſe Roberto aſserendum eſt, qui ad mentem aliquorum Auerroi inhæret. Nos autem in eius Commentarijs ſuper ſecundo Poſt. ita legimus; Eſt alia cauſa neceſsaria, quare oportet in hoc libro tradere artem definiendi; & eſt, quia omnis demonſtratio eſt per medium, quod eſt definitio &c. Ex quibus colligant ueram dictorum authorum poſitionem ſtudioſi. Aſſerendæ igitur ſunt rationes aliquot, quibus fortaſsis in talem deſcenderunt opinionem, quicunque illius placiti

ſecta-

ſectatores extiterunt. Prima quarum ſit, quòd cùm duo ſint inſtrumenta facientia ſcire; alterum, quo ſcitur accidens, & eſt demonſtratio; alterum, quo ſubſtantia, & ipſa eſt definitio; quo argumento organum ſciendi nuncupatur Logica; ſequitur, quòd cùm de primo inſtrumento actum ſit nempe de demonſtratione; ne diminutus Ariſt. cenſeatur, de definitione pariter agatur. *Prima ratio tenentium 2. Poſt. agi de inſtrumento ſciẽdi.*

Ad hanc rationem dicere poſſumus, quòd Ariſt. ne mancus iudicetur, de definitione in ſeptimó Metaphy. egit. ideo de eadem in ſecundo Poſt. tractare non cogebatur. *Reſpõſio*

Opponi tamen huic reſponſioni poſſent recentiores; quia definitio, cùm ſciendi modus ſiue inſtrumentum ſit, in Logica facultate tractari debuit, & non in Metaphy. Sed dicemus adhuc, quòd de definitione iam actum eſt in libris Topicorum nimirum in ſexto. *Obiectio* *Solutio.*

Rurſus inſtabunt contendentes, ꝙ nõ in Topicis, ſed in libris Poſter. de eadem agi congruebat: quandoquidem ubi Ariſt. in primo Poſt. de uno ſcientifico inſtrumento ſermonem feciſſet, ſcilicet de demonſtratione; debuit conſequenter alterum, nempe definitionem in eiſdem libris Poſt. docere. His obuiam faciemus, quoniam ſubſtinemus, non niſi demonſtrationem ipſam in libris Analyticis conſiderari; ſi quę ad Logicum attinentia perquirenda ſuperſunt, ſufficit, quòd eorundem in alijs libris, & adhuc logicis perſcrutatio habeatur. *Obiectio* *Solutio.*

Secunda illorum perſuáſio eſſe poſſet, quia ultra hoc quòd continuitate ſermonum & materierum de definitione tractaturus eſſet Ariſt. in 2. Poſt. effectiuè, & uerè uidemus, quòd de eadem ibidem agat. ergo non niſi ut alter ſciendi modus ab ipſa demonſtratione. Ad hoc iam ſuperius abundè ſatisfactum eſt: ꝙ ſi de definitione agitur, eſt hoc qua *Ratio 2.* *Reſpõſio*

enus ipſa demonſtrationis eſt medium & non aliter.

Ratio 3. Tertiò obijcerent Ariſt. authoritate;qui primo *Poſt.* t. c. 8. tangens alium dari modum ſciendi à demonſtratione,dixit; Si quidem igitur & alius eſt ſciendi modus,poſteriùs dicemus. Talis autem non eſt alius, niſi definitio, in ſecundo lib *Poſt.* declarata. *Reſpõſio prima.* Ad hanc rationem quam multifaciunt Auerroiſtæ, reſpondent omnes Latini S. Docto- *S. Tho.* rem eorum ducem inſequentes; quòd ubi Ariſt. in præcedenti tex. ſeptimo,docuiſſet ſcire per cauſam, quod habetur per demonſtrationem ſimpliciter;uoluit in tex. 8. intelligere ſcire per effectum, *De demõſtratione Quia agitur a tex. 95. primi Poſt.* quod prouenit à demonſtratione Quia. Aliam autem reſponſionem dat Philoponus quam etiam adduxit S. Doct. quòd ſcilicet eſt alia ſpecies ſcientię quę non eſt demonſtratiua, ſed per ſe credita, & abſque ſyllogiſmis: cuiuſmodi eſt ſcientia axiomatum, & dignitatem, ſeu indemonſtrabilium *Secũda.* principiorum: ut dicit S. Doct. hęc per demonſtrationem non habetur,de qua inferiùs tractabitur. & hanc intellexit Ariſt. admittens alium ſciendi à demonſtratione modum; & non definitionem,ut iſti faſtidioſè expoſtulant;ad quorum fortè euitandam moleſtiam, dixit Albertus, quòd Ariſt. alios edidit de definitione libros; in quibus de eadem,ſub ratione quo ſcientificum inſtrumentum eſt pertractauit:qui huc uſque ad manus noſtras minimè peruenerunt.

Noua perſcrutatio. Nihilo tamen minus exercitij literarij cui inſudamus,gratia,non autem determinationis,ne paradoxa ſcribere uideamur, dicere poſſemus adhuc in tanta per ſcholas agitata materia; quòd definitio ipſa,inſtrumentum faciens ſcire non fit. *Prima perſuaſio.* Hoc nobis in doctrina Ariſt. perſuadet obſeruatus progreſſus. Primòquia in libris *Poſt.* de ea non tractac;

ctat;ubi maximè tractare debebat poſt demonſtrationem edoctam: quę inſtrumentum ſciendi quòd ſit,nemo ambigit.Quòd ſi inſtetur(ut & nos paulo ſuperiùs aſſerebamus)de definitione in lib. Topicorum Ariſt. loqui; dicemus ibi conſideratam fuiſſe definitionem, ut quoddam ex tot alijs ibidem tractatis problematibus. Si dicetur(ut quoque præfati ſumus) quòd de ea in ſeptimo Metaphy. habetur ratio; dicemus quòd ibi definitionem ſpeculatur Ariſt. non ut inſtrumentum ſcire faciens, ſed ut rerum naturas ſignificat. In ea nanque ſcientia de entibus, ut entia ſunt,agitur; & non ut rationales conceptus, ac huiuſcemodi reſpectus important; ut ſuperius uberrimè enucleauimus. Adde, quòd ſi in ſeptimo Metaphy. de definitione quatenus inſtrumentum eſt,ageretur, ibidem pariter de demonſtratione ſub eadem contemplatione tractandum eſſet;quia non maior de illa urget ratio, quàm de iſta. Nec reſpondendum eſt, quòd de iſta in lib. Poſt. longior habita ſit diſputatio;quoniam ſequeretur tūc,quòd duorum entium ſub uno communi genere contentorum, ſub unico conſiderandi modo, ac unica formali ratione,nō modo in diuerſis libris,ſed etiam in diuerſis facultatibus & ſcientijs,traderetur perſcrutatio; quod congruum fuiſſe non putamus. Non enim decens eſſet, quòd de genere ageretur in uno opere, & de ſpecie, uel de differentia (ne forte correlatio impediret) in alio, cùm idem ſit illis conſiderandi modus.

Secundò, definitionem inſtrumentum non eſſe, ratio ſuadere uidetur Nam illud ſcientificum inſtrumentum dici meretur, quòd aliam ſcientiam acquirere facit: ſed definitio ſcientiam acquirere non facit; ergo definitio inſtrumentum faciens ſcire dici non debet. Maior eſt clariſsima. Mi- *Secunda*

nor probatur;quoniam definitio eſt ipſa rei quidditas,& eſſentia:qua habita,nil ulterius quæritur. Ecquamnam(quæſo) notitiam, ſeu ſcientiam faciet definitio acquirere, quæ ſit ſeipſa prſtantior, dignior, atque deſiderabilior? Nec poteſt dici, quòd faciat acquirere ſubſtantiam; cùm ipſa ſit ſubſtantiam ſignificans,& quod quid erat, eſſe:ut primo Topic.& ſecundo Phyſ.t.c. 28. docet Ariſt. Nec ualet inſtare,quòd definitio ſignificet ſubſtantiam,& non ſit ſubſtantia; quia definitio cum definito conuertitur; nec aliquid habet ipſa definitio,quod definiti quidditas non ſit;unde ſi definitio inſtrumentum eſſet pariens ſcientiam, cùm ipſa definitio ſit rei ſcientia; ſequeretur, idem eſſe inſtrumentum & opus; id quod facit ſcire, & id quod ſcitur.Quando enim per quamuis proceden di methodum definitionem adipiſcimur, rei omnis cognitio,ac ſcientia habetur;ac ulterior ſcientia quę eiuſdem definitionis inſtrumento inquiratur,non exiſtit. Adhuc, non poteſt eadem definitio medium quoddam eſſe, aliquam concluſionem notificaturum, & eſſe pariter ipſa notificata concluſio. Hoc autem eo clariùs euadet; quò diligentiùs demonſtrationis, quæ uerè inſtrumentũ eſt,morem intuebimur.Ipſa enim parit opus aliud à ſe; concluſionem infert præmiſſis medijs; quæ concluſionis rationem non ſortiuntur: & ex quodam medio termino,qui ſubiecti quidditas ſit,propriam eiuſdem ſubiecti paſſionem, eidemque inhærentem infert;eſtque tale medium tum rei, tum concluſionis cauſa: at quomodo huius inſtrumenti,quod definitio nuncupatur,opus exerceatur, nõ ita elucet.

Tertia. Tertiò, ad ſic credendum inducimur; quoniam id quod facit ſcire,dicit eſſe,uel non eſſe. Sed ipſa definitio nec eſſe dicit, nec non eſſe; ergo defini-

tio inſtrumentum eſſe faciens ſcire, ſic indubiè affirmari non debet. Maior patet, quia ex primo Periherm. ubi uerbum eſt, ibi affirmatio, uel negatio adeſt. Minor eſt Ariſt. primo Poſter. tex. com. 14. & 79. ubi concludit, definitionem non dicere eſſe, neque non eſſe. Quum igitur neque eſſe, neque non eſſe dicat definitio, quomodo poterit facere ſcire, quod eſt alicuius rei eſse, uel non eſse indicare? Cuius fortè occaſione ab Ariſt. definitio, terminus appellatur, qui neque affirmationem, neque negationem facit.

Sed ardua contra hęc inſurgit difficultas ſuper uerbis magni Magiſtri fundata. Habet ipſe nanque in ſeptimo Metaphy. t. c. 51. quòd demonſtratio neceſsariorum eſt, & diffinitio ſcientifica &c. Vbi clariſſimè ſcientifica nuncupata eſt ipſa definitio. Cùm igitur id quod ſcientificum eſt, ſcire faciat, ſequitur definitionem facere ſcire, & conſequenter eſse ſciendi inſtrumentum. *Obiectio*

Poteſt attamen iſthęc obiectio è medio tolli, ſi ea quæ ſuper eo textu affert S. Doctor expoſitorum Ariſt. Princeps rimabimur. Ita enim habet; Diffinitio eſt ſcientifica, ideſt faciens ſcire, quæ eſt quaſi medium demonſtrationis, quę eſt ſyllogiſmus faciens ſcire &c. ex quibus uerbis lucidiſſimè colligitur, S. Doct. tenuiſse definitionem ſimpliciter & per ſe non facere ſcire, ſeu eſse ſcientificam, ſed bene per accidens, quatenus ſcilicet ipſa eſt demonſtrationis ſimpliciter & per ſe ſcire facientis, medium, eo pacto, quo diceremus, arma eſse ſaluifica, ſeu uictricia, non quòd ſimpliciter milites ſaluos faciant, ſiue uincant; ſed quia media ſunt, quibus tuti ac ſalui reddantur milites, & quibus uictoria ijdem potiantur. Sic pariter ſcientifica dicitur definitio ſub ratione qua in ſyllogiſmo ſcientifico uices gerit medij termini. Non tamen hinc *Solutio. S. Tho.*

Proteſta-tio. concludimus in tali poſitione S. Doctorem habere ducem: unde aliqua corripiatur contradictione: ſed cũ ipſo, Ariſt. uerba, quę huic placito nouo refragãtur exponere uoluimus; ſicq; interpretata ad bonã ducere intelligentiã. Illud tamẽ poſteris mãdauimus, non quòd ita rei ueritas abſolutè ſe habeat, & nos pro concluſione reſolutè teneamus; ſed ad ſcholarium, noſtrorumq́ue cõdiſcipulorum excitanda ingenia: quod & eruditiorum ſubmittimus cenſuræ; quos rogatos uelim, ut ſi rationabile illis hoc offeratur dogma, confirment; ſin autem, nos commonefacientes meliora doceant; quibus uel hoc ſufficiat, quòd dubitationis locus fuerit oſtenſus. Sintq́ue iſthæc obiter de definitione tacta, de qua pręcipua non erat intentio; ſed pro quanto ipſius occaſione, Balduinus inter cætera argumenta probabat adhuc librum Prædicamentorum non eſſe logicum; cuius oppoſitum nos principaliter contendebamus. Cæterùm tempeſtiuum eſt, ut logicalibus intermiſſis lucubrationibus, ad digniora Philoſophiæ ac Medicinæ ſtudia, quibus in hoc Neapolitano gymnaſio, potiſſimùm ſub excellentiſſimis, Ioanne Argenterio, & Paulo Monacho, Doctoribus incumbimus paulisper reuertamur; ut tandem IESV CHRISTI, Dei & hominis, fauente numine, tantorum laborum palmam conſecuti, ad dominorum Ioannis Iacobi Calui, ac Beatricis Saloniæ, parentum noſtrorum, reditum noſtrum nimis anxiè pręſtolantium, optatiſſimos amplexus remigremus. Et hęc ſatis de quæſtione dicta ſint (quam polliciti ſumus) prima; amicorum quorundam ſuaſionibus, ne dicam coerctionibus ante terminum publicanda. Duæ uerò propoſitę reliquæ, ac penè cõpleræ, hanc propediẽ comitabuntur; ubi nimirum proximioribus ferijs, denuò reuiſas diligentiùs emaculabimus; ſi Deus cõceſſerit, cui perpetuę gratiarũ actiones. 1556.

AVTHORIS ALLOCVTIO ad Editionem.

FILIA debueras, multos ſeruata per annos,
Auſpicijs fauſtis, ire per ora uirum.
Corporis ipſe aliàs, mentisve quiete fruebar:
Cura mihi rerum, nec labor ullus erat.
Nunc, alius ſiquis, turbatus ducor, & angor:
Tempore fœlici, priuor in orbe miſer.
Nanque, Iacobus auus Caluus tuus ecce Ioannes
Interijt, qui te ſolicitabat auens.
Ille, mei parerent cupijt ſentire labores
Qualesnam fructus; nec tamen heu licuit.
Scripta ego, nẽpe, mea (ut puto) ſic ĩdigna putabã:
Perque hominum manus ire, uerebar iners.
Interijt pariter, mea nunc dulciſſima Conſors,
Angela Morales, moribus Angelicis.
Nunc gemitus comites ſunt, nunc ſuſpiria mecum
Conuiuunt; ægros uiſere & uſque ſolent.
Quæve domus dulcis fuerat tunc, carceris inſtar
Offertur domino triſtis, opaca modò.
Artubus & tandem uiduus dum reddo quietem;
Tunc thalamum, tumulum ſuſpicor eſſe meum.
Heu, mea cuncta iacent cum cõiuge gaudia: nullos
Lætitiæ fructus edere nata uales.
Sic quoque, cum reliquis tu (crede) ſepulta fuiſſes;
Quæ poſſent miſero gaudia ferre mihi.

Sola

Sola mihi remanet ſcribendi mæſta uoluptas,
Quæ ex alto lacrymas pectore, metra cient.
Aſt, adeò fratrum uis multa, coegit amantum;
Decretum tandem, uertere quòd potuit.
Sed ſi lætus eram, ſaltem correctior ires;
Gratior ac eſſes; & (puto) compta magis.
Sic queror, egrederis modò, uix ſpectata parente:
Sæpius aſt eſſes, non relegenda ſemel.
Incumbit calamus, funeſtis uerſibus ater
Edendis tantùm, triſtia fata gemens.
Spero tamen, nomen, nimiumq; illuſtre patroni:
Arx tibi fortis erit, lux, honor, atque decus.
Sæpe obſcura quidem, pręſenti lumine clarent,
Sol quoque uel quæuis, fulgidiora facit.
Lectoresq; tuo parcent, fortaſſe, parenti,
Oppreſſo curis pluribus, ac lacrymis.

ELEN-

ELENCHVS CONCLVSIONVM HOC LIBELLO CONTENTARVM,

AB ALEXANDRO CALVO, FRATRE AVTHORIS DILECTISSIMO, EXTRACTVS.

DE GENERE.

GENERIS diffinitionem non deſcriptionem modò aſſignari poſse, licèt doctiſſimi uiri abnegent. Concluſio I. fol. 1

DE SPECIE.

Speciem ſpecialiſſimam unam poſſidere tantùm habitudinem. Concluſio II. 13
Indiuiduum de nullo prędicari, aduerſus Porphyrium. Concluſio III. 14

DE DIFFERENTIA.

Ex quatuor Differentiarum animal diuidentium combinationibus, Rationalis ſcilicet, Irrationalis, Mortalis, & Immortalis, quatuor ſpecies nec conſtituit Porphyrius, nec ad mentem Ariſtotelis conſtitui poſse, contra Boetium. Concluſio IIII. 31
Quanquam ſingulorum predicabilium cognitio, diffinitioni & diuiſioni confert, hoc de Differentia dūtaxat Porphyrius meritò quærit. Concluſio V. 35
Genus actu Differentias continere ſatis extra propoſitum imaginatus eſt Burleus. Concluſio VI. 38

Quas

Quas ex Platonicis,contra Ariſtotelem colligit rationes Ammonius, Genus non poteſtate ſed actu Differentias continere probantes,nullius eſſe momenti. Vanam quoque eſſe pro Ariſtotele ab eodem Ammon. allatam defenſionem. Concl. vij. 39
Differentias, generis diuiſiuas non dari Concl viij. 45
Porphyrius quamuis quinque aſſignauerit differentiæ diffinitiones,ſiue deſcriptiones, nullam illarum uere differentiam diffinire uel deſcribere concludimus. Concluſio ix. 48
Differentias quæ communiter,quę proprię, & quę magis proprię dicuntur, inter ſe differre, non diuerſas tantùm eſſe,aduerſus curioſos quoſdam Conc x. 49
Qui differentiam proprie dictam(quemadmodum illa quæ communiter dicitur accidens infert) Proprium, quartum prædicabile importare afferunt, toto aberrant cœlo. Concluſio xj. 51
Differentiam quadrifariam diſtinguendam, diminutè Porphyrius trifariam diuiſit. Conc xij. 64
Differentiam ultimam,ex tertio quem includit actu, ſortiri quo minus uera differentia dici poſsit,qui aſſerũt, errore detineri uidentur.cõtra Albertũ Conc.xiij.65
Differentias etiam ultimas,de differentibus ſpecie prædicari poſſe. Conc. xiiij. 68

DE PROPRIO.

DE Proprio tractans Porphyrius,diminutè quidem ſatis agit. Conc xv. 69
Proprium & ſi quadrifariam uiſus eſt Porphy. diuiſiſſe, trium tamen ſignificatorum exempla ſolùm adduxit, Hominem enim in ſenectute caneſcere,Proprium eſt quarto modo dictum, non tertio. Conc.xvj. 63
Proprij ſignificationes aliquas mutuas ſubire poſſe uices Concl. xvij. ibidem
Vnam eandemque paſſionem, primo,ſecundo,& quarto modo

to modo Proprium, dici poſſe. Concl.xviij. 60
Non plenam ſignificatorum Proprij ſufficientiam à Porphyrio fuiſſe allatam. Concl xix. 66
Porphyrius in enumeratione ſignificatorum Proprij, nullum executus eſt ordinem. Conc.xx. 67
Proprium, num vniuerſale ſit. Conc. xxj. 68
Proprium non prędicatur de una ſola Specie: aduerſus Porphyrium & illum exponentes.Concl xxij. 69

DE ACCIDENTE.

Accidens de pluribus non prędicari.Conc.xxiij. 71
Accidentis diffinitionem perperam à Porphyrio fuiſſe aſsignatam. Concluſio. xxiiij. eodem
Primam Accidentis deſcriptionem, ſiue ut eam tradidit Porphyrius, ſiue ut illam Neoterici expoſuerunt, diminutam eſse.Conc.xxv. 73
Accidentis, diſtinctione nulla pręmiſſa, ſermonem à diffinitione auſpicari non debebat Porphyrius. Conc. xxvi. 74
Accidentis diſtinctione poſtpoſita, eiuſdem tractatum à diffinitione exordiens laudabiliter egit Porphyrius. Concluſio xxvij. 77
Accidentis ſecundam diffinitionem ſeparabili duntaxat competere, falsò autumat Auerroes. Concluſio xxviij. eodem
Quę imaginatur Burleus, ut oſtendat inſeparabile accidens, diffinitionem accidentis non effugere, riſu potiùs quàm attentione digna ſunt.Conc.xxix. 80
Quòd multa ſint Accidentia, quorũ euentus ſubiecti deſtructionem importent, ob quæ Accidentis labefacte tur deſcriptio, qui addubitant, hi ſanè delirant omnes, nec quas afferunt obiectiones intelligunt. Vnde quamplurium circa illarum diſsolutionem ſententiæ ridicuculæ ſunt.Concluſio xxx. 81

DEclarans Porphyrius omnibus prædicabilibus de pluribus prædicari eſse commune, ſi nec Genus, nec Differentiam, nec Speciem de Proprio dici docuerit, recta id ratione fecit. Concluſio. XXXI. 86

Proprium primò de indiuiduis, poſtmodùm de Specie, non ſecus ac Accidens prędicari, perperam aſserit Ammonius. Concluſio XXXII. 89

Quæ de Genere prędicantur, de Speciebus omnia non dici, nec quæ de his, omnia de indiuiduis enũciantur. Concluſio. XXXIII. 92

Porphyrius dum prædicationem de pluribus, his uel illis prędicabilibus eſse communem aſserit, à propria deflectit authoritate. Concluſio. XXXIIII. 94

Quam tradit Porphyrius de Generis & Speciei communione agens animaduerſione, quòd ſcilicet de Specie quatenus ſpecies eſt, tantùm loquatur, prorſus eſse inutilem. Concluſio XXXV. 97

Hanc ipſam animaduerſionem exponens Ammonius, deceptus eſt. tantũ abeſt, quòd illam maxima ratione à Porphyrio adductã ſuſpicetur. Nec Boetius ab Ammonio diſcrepans ac ſubalternam ſecludens ſpeciẽ, ueritatem nactus eſt. Concluſio XXXVI. 104

Primam Speciei & proprij Differẽtiam, in qua ſpeciem aliorum poſse eſse genus dictũ eſt, Propriũ uerò aliorum ſpecierũ eſse proprium impoſſibile eſse, ſi ſilẽtio Porph. inuoluiſset, cõſultiùs egiſset. Conc. xxxvij. 109

Genera & Species, licèt ijs quorum uel genera, uel ſpecies ſunt, priora eſse dixerit Porphyrius, nos illi, nõ repugnãtes, oppoſitum aſserimus. Conc. xxxviij. 120

Vltima generis & ſpeciei differentia, quòd ſpecies nunquã fiet generaliſſimum, nec genus ſpecialiſſimum, nõ eo modo, inter eadem diſcrimen importat, quin poſſit etiã cõmunionis eſse argumentũ. Conc. xxxix. 111

Num id quod in generis & ſpeciei diſcrimine docet Porphyrius, genus ſpecies continere & ab illis non con-

tineri

tineri, uerum ſit. Concluſio xl. 112
Quamuis Accidens de paucioribus quàm genus prædicari concluſerit Porphyrius, nos tamen illud de pluribus quàm genus dici, ad eiuſdem aures ſubſtinemus. Concluſio xlj. 113
Nulla coactus neceſſitate Porphyrius hoc eodem loco de Genere & Differentia agens, Differentiam diuiſiuã intelligi debere proteſtatur. Concluſio xlij. 115
Indiuidua ſi uerè infinita eſse cenſuit Porphyrius, rei ueritatem non eſt aſsequutus. Concluſio xliij. 116
Quoties in his Prædicabilium attributis, quæ communitates appellantur, bipedis uel quadrupedis exemplo, differentiam ſignificaturus utitur Porphyrius impropriè ſatis loquitur. Concluſio xliiij. 118
Quę de equa & aſino affert Porphyrius, ad ſpecierum compoſitionem tollendam, inſtãtiam non effugient. Concluſio xlv. 119
Licèt intenſione & remiſſione carere genus docuerit Porphyrius, nos ab hac doctrina non recedentes, idem magis & minus ſuſcipere poſse fatemur. Concluſio xlvj. 121
Quoniam de quinque uocibus præſens Porphyrij introductio inſcribitur, harum cognitio ab ea uocum tractatione quæ à Summiſtis agitur, petenda non eſt, in qua nimium hallucinatus eſt Petrus Hiſpanus. Concluſio xlvij. 153

CONCLVSIONES EXTERAE, PRAEcipuis inſertę, earundemque appendices.

Accidentia ſubſtantijs non priuantur. fol. 4
Neq. uniuerſalia, neq. particularia diffinibilia ſunt 7
Prædicamenta undecim ſunt. 8
Prædicamentum unum ſolum eſt. 10
Prædicamenta ſunt duo. eadem
Prædicamenta tria ſunt. 11

Præ-

Indiuiduum non modò de uno, ſed de pluribus prædicatur 29
Nullum indiuiduum de aliquo prædicari poteſt 30.
Indiuiduum prædicatur de pluribus. eodem
Vagum indiuiduum de pluribus non prædicari. 31
Indiuiduum prædicatur de pluribus ſpecie differentibus. eod.
Proprium quarto modo, non competit ſoli illi cuius proprium eſſe dicitur. 65
Demonſtratio etiam quæ potiſsima nuncupatur, ex communibus conſtat. 69
Singularia demonſtrationem adhuc potiſsimam ingrediuntur. eodem.
Genus de Differentia prædicari non poſſe. 88
Genus de proprio naturaliter prædicari poſſe. eodem
Excluſiuas propoſitiones, aliam à famoſis conuerſionem ſibi uendicare diffitemur. 98
Conuerſio de qua in priorum libro agit Ariſtoteles, propoſitionum paſsio eſt. 99
Conuerſio propoſitionum, terminorũ, ac animæ, paſsio eſt. eod.
Conuerſio dicta per contrapoſitionem, inter conuerſiones recipi minimè debet. eod.
Identitas uel diuerſitas ſecundùm genus, non eodem modo à Logico & à Philoſopho ſumitur. 101
Conuerſio propoſitionum nulla datur, in qua qualitatis aliqua fiat uariatio. eod.
Qui ex Summiſtis conditionalem omnem falſam, impoſsibilem pariter eſſe aſſerunt, hi propriam ignorant uocẽ. 102
Conditionalis impoſsibilis non datur, imma omnis eſt neceſſaria. 103
Subſtantiæ datur contrarium. 123
Decipiuntur illi, qui ſonos Intellectui nihil ſignificantes terminorum aggregant numero. 120
Nec minus iidem deridendi ſunt, quando gemitus infirmorũ & latratus canum, terminos naturaliter ſignificantes poſſe dici imaginantur & autumant. 127
Propriis adhuc repugnant principiis, qui terminos per complexos & incomplexos diuidunt. 128

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE